

ut sciatur, quid in puncto juris tenendum sit; tum ne magis utilia per inutilia impediatur. Moderata tamen disputationes permittuntur, imo fudentur iis, qui sufficienter doctrinalibus sunt imbui, cum exercitium disputandi ad diligentius legendum, & inquirendum inducat. 3. intellecta doctrina tituli, ad fontem recurrendum est, & singula capitula tituli cum casibus ibi relatis evolvenda, praesertim glossa, vel alio interprete adhibito; uti & specialiter excerpere erunt ille sententiae, quae insar maximarum capitulis interferi solent v. g. c. 2. de Const. Rem., qua culpa caret, in damnum vocari non convenit. Valent enim ad decisionem plurium materiarum. 4. faciendae sunt crebrae reflexiones antea lectorum, & gradatim a titulo ad titulum sine saltu procedendum.

Synopsis Decreti Gratiani.

34. Prima pars Decreti dividi potest in quinque principales notas: in prima notabis, quod a dist. 1. usque ad 24. agatur de iuribus, puta de iure naturali, divino, gentium, civili, constitutionibus principum, Canonico, consuetudine, Conciliis, Epistolis decretalibus, de ministris, seu exequutoribus Sac. Canonum, praesentia, ordinatione, & examine, ac probitate ordinandorum. In secunda notabis, quod a dist. 25. usque ad 50. agatur de tredecim regulis, seu praecipuis Apostolicis: oportet Episcopum esse sine crimine, unius uxoris virum (ubi multum de continentia Clericorum) non vinolentum, prudentem, in literis, & negotiis versatum, ornatum honestate interiori, & exteriori, hospitalem, pudicum, doctorem, non percussorem, non litigiosum, non cupidum, dormi sui bene praepositum, non neophytm; quae capitula recapitulatur in dist. 49. & in seq. d. 50. subditur de lapsu, & reparatione Clericorum. In tertia notabis, quod a dist. 51. usque ad 60. agatur de irregularibus, & non admittendis ad Ordines, uti sunt curiales, & obligati ad rationem, per saltum promoti, servi, corpore vitati, bigami, illiciti, publice penitentes, illegitimi, in aegritudine baptizati, monachi sine consensu proprii Abbatis. In quarta notabis, quod a dist. 60. usque ad 94. agatur de electione Clericorum ad dignitates, eorum ordinatione, literis, aliisque requisitis ordinandorum, temporibus ordinationum, de vita, & honestate Clericorum. In quinta notabis, quod a dist. 94. usque ad ultimam agatur de Legatis Apostolicis, delegatis praesulum, principibus laicis, litteris scribendis, & subscribendis, Primatibus, pallio Archiepiscopali: & tandem ne in una Provincia plures sint Metropolitan.

Secunda pars decreti continet graviores causas 36. circa varia delicta, iudicia, Episcopos, Clericos, monachos, & ultimo a causa 27. circa sponsalia, & matrimonia. In seq. catalogatur materia cuiusque causa: prior numerus denotat causam, posterior vero quot quaestiones sint in illa causa.

- 1. 7 de Simonia.
- 2. 8 de Iudiciis, accus. appell.
- 3. 11 de Spoliatis.
- 4. 6 de Accusator. & testibus.
- 5. 6 de Libello famoso, & Delatore.
- 6. 5 de Infamibus.
- 7. 2 de Episcopi viventis successores.
- 8. 5 de Successione Praelatorum.
- 9. 3 de Absolutione a censuris.
- 10. 3 de Regimine Episcopi.
- 11. 3 de Censuris variis.
- 12. 5 de Testament. & bonis cleric.
- 13. 2 de Funeribus, & Exequiis.
- 14. 6 de Fenore, & Usura.
- 15. 8 de Furiosis, & eor. similib.
- 16. 7 de Monachis, decimis.
- 17. 4 de Occisione, maxime Cleric.
- 18. 2 de Abbatibus.
- 19. 3 de Claustris religiosis.
- 20. 4 de Voluntariis religiosis.
- 21. 5 de Commendis clericorum.
- 22. 5 de Juramentis.
- 23. 8 de Pugna, & Bello.
- 24. 3 de Haereticis.
- 25. 2 de Violatione censur. & privil.
- 26. 7 de Sortilegiis.

Matrimonialia.

- 27. 2 de Sponsalib. & castitate.
- 28. 3 de Infidelium nuptiis.
- 29. 2 de Servorum matrim.
- 30. 5 de Infantum matrim.
- 31. 3 de Mecha matrim.
- 32. 8 de Meretricis matrim.
- 33. 5 de Frigidor. & voto ligator.

Matrim. in q. 3. tractatus de penitentia.

- 34. 2 de Dubio circa mortem mariti.
- 35. 10 de Gradibus consanguin. & affin.
- 36. 2 de Raptu Virginum.

Materia haturum causarum in iure Canon. exprimitur per titos septem vericulos: *Simon appellat.* &c. in quibus singula vocabula significant materiam singularum causarum.

Tertia pars Decreti habet 5. distinctiones In I. agitur de consecratione Ecclesiae, altarium &c. & missarum celebratione. In II. de fac. Eucharistia. In III. de Festivitatibus, & jejuniis annuis. In IV. de baptismo. In V. de confirmatione, & abstinentia ab illicitis.

Synopsis Decretalium.

35. Libri Decretalium in genere agunt: 1. de iudiciis Ecclesiasticis. 2. de iudiciis, seu processu iudiciali: & quia ad iudicium deduci debent aliquae causae civiles, vel criminales, ideo Liber III. agit de causis civilibus praesertim Clericorum. 4. de causis civilibus laicorum, quae spirituales, seu Ecclesiasticae sunt, uti matrimoniales. 5. de causis criminalibus Clericorum, & laicorum, in quantum pertinent ad forum Canonicum. Hanc generalem Synopsim Glossa complectitur hoc vericulo:

Index, Iudicium, Clerus, Sponsalia, Crimen.

36. Liber I. Decretalium pro objecto suo principaliter inter materialia habet iudicem, seu personas Ecclesiasticas, & quatuor praecipua complectitur. Principia juris, modos promotionum ad dignitates Ecclesiasticas, ordinationes, & officia Clericorum: tum sequuntur preparatoria ad iudicium, de quo in libro seq. Et quidem a tit. 1. usque ad 4. ad imitationem juris civilis traduntur communia principia juris, quae sunt vera fides catholica, consuetudines, scripturae, & consuetudo. 2. a tit. 5. usque ad 10. traduntur formae, seu modi, quibus personae Ecclesiasticae promoventur, vel amoveantur, uti sunt postulatio, electio, translatio ab uno Episcopatu ad alterum, renunciatio, provilio superioris supplementis negligentiam inferiorum Praelatorum. 3. a tit. 11. usque ad 22. traduntur requisita necessaria ordinationum, & impedimenta, seu irregularitates ordinandorum ex defectu provenientes. 4. a tit. 23. usque ad 33. traduntur varia officia Clericorum, ut Archidiaconi, Archipresbyteri &c. 5. a tit. 34. usque ad fin. traduntur ea, quae viam praeparant, aut impediunt ad iudicium, ut treuga, & pax, pacta, translationes, postulationes advocatorum, procuraciones, syndacatus, recessiones metu gestorum, restitutiones in integrum, alienationes rerum propter metum iudicii, arbitraria.

37. Liber II. Decretalium pro objecto principali habet processum iudicialium. Et quidem a tit. 1. usque ad 4. traduntur ea, quae praecedunt principium litis, uti est notitia de iudiciis, & foro competente, oblatio libelli cum citatione rei, mutua petitio, seu reconventio actoris. 2. a tit. 5. usque ad 17. quae pertinent ad principium iudicii iam actu suscepti, uti est litis contestatio, juramentum calumniae, dilaciones, ordo cognitionum &c. 3. a tit. 18. usque ad 26. traduntur ea, quae pertinent ad medium iudicii, seu terminum probatorum, uti sunt ex parte actoris probationes per confessionem rei, testes, instrumenta, praesumptiones, iurjurandum, & ex parte rei exceptiones, & praescriptiones. 4. a tit. 27. usque ad fin. traduntur ea, quae pertinent ad finem iudicii, uti est sententia, & res iudicata, appellatio verbalis, vel realis, confirmatio sententiae utilis, aut inutilis.

38. Liber III. Decretalium pro objecto principali habet causas civiles Clericorum. Et quidem a tit. 1. usque

usque ad 13. traduntur ea, quae concernunt causas beneficiales, ut Clericorum vita, & honestas, continentia, residentia, praebende, institutiones, actus qui sunt Sede vacante, vel plena, alienationes rerum Ecclesiasticarum. 2. a tit. 14. usque ad 30. traduntur ea, quae concernunt varios contractus, bona, seu peculium Clericorum, testamenta, successiones ab intestato, sepulturas, parochias, decimas. 3. a tit. 31. usque ad 37. traduntur ea, quae concernunt statum, iura, & obligationes Regularium, uti sunt transitus ad Religionem, vota, status, & capellae, seu Ecclesiae monachorum; 4. a tit. 38. usque ad fin. traduntur ea, quae concernunt iura, & actus ad Ecclesiam pertinentes, uti sunt jus patronatus, census Ecclesiastici, consecratio Ecclesiarum, celebratio missarum, baptismus, Eucharistia; Reliquae SS. observatio jejuniorum, edificatio, & immunitas Ecclesiarum; & tandem in ultimo titulo, qui est conformis primo, statuitur, ne Clerici, vel monachi secularibus negotiis se immiscant.

39. Liber IV. Decretalium pro objecto principali habet causas Ecclesiasticas laicorum, seu matrimoniales. Et quidem a tit. 1. usque ad 16. traduntur varia impedimenta matrimoniorum, & a tit. 17. usque ad fin. traduntur effectus, & dissolutio matrimonii, uti est legitimitas, & legitimatio filiorum, divortia, dotis restitutio: & tandem agitur de secundis nuptiis.

40. Liber V. Decretalium pro objecto principali habet causas criminales Ecclesiasticas, licet multae sint mixti fori. Et quidem in tit. 1. & 2. praemittuntur ea, quae iudicium criminale praecedunt, ut accusaciones, inquisitiones, denunciations, calumniae. His praemissis a tit. 3. usque ad 9. agitur de criminibus adversantibus Religioni, & Fidei catholicae, uti sunt simonia, iudaismus, paganismus, haeresis, schisma, ordinatio a schismaticis, apostasia, & reiteratio baptismi. 2. a tit. 10. usque ad 23. agitur de delictis potissimum iustitiae adversantibus, quibus nocetur proxi-

mo in vita, forunis & fama, uti sunt homicidia, torneamenta, duella, ejaculatio sagittarum, adulteria rapina, furtum, usura, crimen falsi, sortilegia, collusio, delicta puerorum. 3. a tit. 24. usque ad 33. potissimum agitur de propriis delictis Clericorum, uti sunt venatio, percussio, maledicentia, ministratio Clerici excommunicati, depositi, interdicti, non ordinati, promotio per saltum, furtiva ordinum suscepcio, excessus Praelatorum, & subditorum, novi operis attentio, excessus in privilegiis. 4. a tit. 34. usque ad finem agitur de purgatione Canon. & vulgari, iniuriis, praenis, penitentiis, censuris, quae ad delicta consequuntur. Tandem adduntur duo tituli de verborum significatione, & regulis juris.

De Abbreviationibus.

41. Scriptores in iure passim utuntur vocibus, & rubricis abbreviatis, v. g. pr. principio d. l. d. i. dicta lege. dicto titulo h. r. hoc titulo l. f. lege finali. arg. argumento, vel per argumentum legis, aut capituli a. f. c. a. sensu contrario b. f. m. f. bona fide, mala fide. Confona in fide duplicata significat pluralem, v. g. de Temp. Ord. de temporibus ordinationum. L. XII. Tab. Lex. 12. tabularum. in cit. h. capp. in citatis legibus; capitibus &c. Rubricae abbreviate scribuntur per initiales litteras, adeoque per his consule indicem alphabeticum titulorum, v. g. A. R. D. acquirendo rerum dominio D. R. divisione rerum, rebus dubiis J. C. iure codicillarum J. & J. iustitia, & iure J. & P. I. juris, & facti ignorantia J. N. G. & C. iure naturali, gentium, & civili, LL. legibus N. O. N. novi operis nunciacione, O. & A. obligationibus, & actionibus. R. C. rebus creditis. S. P. R. S. P. U. servitutibus praedictorum rusticorum, urbanorum P. J. E. veteri iure enucleando. V. O. verborum obligationibus. V. S. verborum significatione. R. J. regulis juris, R. V. rei vindicacione &c.



LIBER PRIMUS DECRETALIU GREGORII IX.

Omnia materialia objecta juris sint tria: personae, res, & actiones §. fin. In. de. J. N. G. & C. persona autem principem locum teneant, merito compilator Decretalium ad imitationem juris civilis, praesertim codicis, praemissis principiis juris, incepta a personis Ecclesiasticis, examinando illarum promotionem ad dignitates, ordinationem, & varia officia, cujus etiam ordinem hic sequemur.

TITULUS PRIMUS.

De summa Trinitate, & Fide catholica.



Agitur de hac materia etiam in Sexto, & Clem. eod. tit. Item in Decreto d. 22. per tot. d. 23. cap. 2. & cap. fin. de consec. d. 3. & cap. pen. & ult. de consec. d. 5. In Trident. Sess. 3. de Symb. Sess. 24. c. 1. & 12. Sess. 15. cap. 2. de prof. fidei, & in Codice lib. 1. tit. 1.

Nota praesentis rubricae duas esse partes, quarum prior agit de mysterio SS. Trinitatis, posterior de Fide Catholica, non formaliter pro habitu, vel actu, quo assentium revelatis auctoritatem DEI, sed obiective sumpta pro collectione praecipuorum articulorum Fidei.

1. Quid traduntur in hoc tit. R. 1. doctrina catholica de DEO uno in essentia, & uno in personis: de creatione mundi ex nihilo, quae DEUS condidit creaturam Angelicam, mundanam, seu corporalem, & humanam ex spiritu, & corpore constitutam, de mysterio Filii Dei incarnati, universalis resurrectione, ultimo iudicio, aeterna punitione malorum, & premio bonorum. Item de una universali Ecclesia, & sacrificio Missae, ejus ministro Sacerdote, baptismo parvulorum, & adulterum, Sacramento penitentiae, de aeterna beatitudine non tantum virginum, & continen-

tium, sed etiam conjugatorum per rectam fidem, & operationem bonam Deo placentium. Quae omnia fusius vide in textu cap. 1. Firmiter. h. i. Ex his in c. 2. eodem damnatur error, & libellus Joachimi Abbatis Florentis, qui impugnans Petrum Lombardum magistrum sententiarum, asseruit in Patre, Filio, & Spiritu Sancto tres dari essentias realiter distinctas, dici vero unam tantum moraliter unitate conjunctionis, & consubstantialis. Ejus tamen persona non damnatur, cum omnia scripta sua iudicio S. Sedis submisserit. Item in sine damnatur perversissimum dogma impij Almaricij natione Galli, patria carnotensis, quod in textu non exprimitur, sed ab aliis refertur, quod scilicet Dei Patris gubernium non extendat se ultra legem Mosaycam, Filii ultra novum testamentum, cujus iam suo tempore finis esset, nunc vero tempus sit Spiritus Sancti, cujus gratia omnis homo, licet plurima peccata committat, salvatur sine suo actu. Item quod verum Corpus Christi non sit magis sub Eucharistia, quam in alia qualibet re &c. quam doctrinam non tam haereticam, quam insanam censuerunt Patres in Conc. Lateran. sub Innoc. III. an. 1215. celebrato. Solet autem hoc Concilium in iur. Canon. dici Generale sine addito, non antonomastice, quia non videtur praesentem primis Conciliis generalibus, sed synoecochiae, & appropriative.

2. R. 2. Traditur in c. un. *fidei*. h. e. in 6. contra errorem Græcorum, Spiritum S. procedere a Patre, & Filio, non tanquam ex duobus principiis, sed tanquam ex uno principio, seu uno spiratore, non duabus spirationibus, sed una spiratione. Quod definitum est in Conc. generali Lugdunensi II. sub Gregorio X. an. 1274. Denique in Concilio Vienn. sub Clem. V. an. 1311. definitum est, Filium DEI verum corpus humanum ex Maria Virgine assumptisse, in eo passum, & jam mortuum lancea perforatum: reprobatum ibidem doctrinam tanquam hæreticam eorum, qui dicunt animam rationalem non esse vere, ac per se humani corporis formam: ultimo definitur consistendum esse unum baptismum, & approbatur sententia illorum theologorum, qui docent eam parvulis, quam adultis conferri in baptismo informantem gratiam, & virtutes. Clem. un. hoc tit.

3. Q. II. Qua potestate Imperatores tulerint constitutiones de SS. Trinitate, & Fide catholica, nisi sunt illæ, quæ in Cod. tit. 1. referuntur? R. Imperatores non condidit has constitutiones auctoritate principali, cum res fidei excedant potestatem politicam; sed hortati Episcoporum, & Pontificum, tanquam exequutores, & defensores sac. Canonum contra violentiam hæreticorum; ad quorum pertinaciam frangendam plerumque non fuisse sola potestas Ecclesiastica, nisi adjuvetur per potestatem secularium Principum catholicorum, tanquam advocatorum, & defensorum Ecclesie.

4. Q. III. Qui specialiter obligati sint ad externam professionem Fidei catholice? Certum est quemlibet fidelem ad eam obligari jure naturali, & divino, dum illam exigit honor DEI, aut religionis, & Ecclesie catholice, aut salus proximi. Matth. 10. v. 32. qui confitebitur me &c. Jan. R. 1. jure humano Conc. Trid. sess. 25. cap. 2. tenentur ad illam promoti in Patriarchas, Primate, Archiepiscopos, & Episcopos in prima synodo provinciali; alioquin a communione illius, qui fidem istam profiteri noluerit, ceteri Episcopi, admonito Rom. Pontifice, abstinere debent. Hoc præceptum renovavit Gregor. XIV. Constit. *Omnes Apostolice* 13. Martii 1591. Hodie professio fidei, & juramentum obedientie solet ab Episcopis præstari coram Papa, vel ejus delegato. 2. Tenentur ad illam provisi de beneficio curato, vel Canonice, aut dignitate Ecclesie cathedralis, illi coram Episcopo, aut ejus Vicario; isti coram Episcopo, vel Vicario, & capitulo Trident. sess. 24. c. 12. de reform. ubi subditur: alioquin prædicti omnes provisi fructus non faciant suos, nec illis possessio suffragetur; ex quibus verbis communior sententia contra Sanch. & Barbof. de Off. Episc. alleg. 61. n. 28. colligit, quod Canonici isti, & curati culpabiliter omittentes professionem fidei intra bimestre, eo elapso, fructus perceptos in conscientia teneantur restituere etiam ante sententiam judicis: nam dispositio Trident. non est proprie penalitatis, sed conditionalitatis, concedens fructus sub conditione emisse professionis; ergo si hæc conditio deficiat, fructus percipiuntur tanquam alieni: alienum autem restitui debet ante sententiam. Quia vero dispositio ista odiosa est arg. reg. odia in 6. non debet extendi ad Canonicos non curatos Ecclesie collegiatae, nec ad provisos de capellaniam, vel portionem in Ecclesia cathedrali, nec ad distributiones quotidianas, cum nomine fructuum in materia odiosa veniant soli fructus grossi. 3. Ad professionem fidei tenentur Prelati regulares ex Constit. Pii IV. *Injunctionum* 1564. idib. Nov. que tamen non ubique est usi recepta. Item promovendi in magistros, doctores, & artium liberalium professores, sive Clerici sint, sive laici ex Constit. Pii V. *Sacrosanctia*, sed neque hæc ubique recepta est.

Ad Fidei professionem tenentur etiam Deputati ad beneficia curata Ordinis S. Joan. Hierosolymit. ex decret. Conc. 14. Jan. 1708. relata in *Thesaurio rescripto*. ejusdem Conc. ab anno 1739. ad 1740.

Sede Episcopali vacante, faciendæ est a Canonicis, & dignitatibus cathedralis ne dum coram capitulo, sed etiam coram Vicario capitulari, DD. relata a Reiffensch. lib. 1. Decretal. tit. 9. n. 568.

Omittentes, vel debito modo eam non emittentes, licet non faciant fructus suos, lucrantur tamen distributiones pro bonis, quibus intersunt ex decret. 9. Febr. 1726. in *Cathacen. relata in dicto thesaur.*

Nota, quod condonatio fructuum male perceptorum ob hujusmodi omissionem fieri nequit ab Ordinario, sed a Sede Apostolica, que eos condonare solet, si ommissa fuerit, vel male emissa bona fide, injuncta aliqua elemosyna arbitrio Episcopi, vel confessorii juxta plura exempla relata in sol. ejusdem Cong. 17. Aprilis 1728. in *Toletana*, cum onere eam. emittendi, vel repetendi, si male emissa fuerit, coram capitulo, & Episcopo juxta decreta relata. 6. Decem. 1738. in *Capuana* professionis Fidei, ita tenentur tam repetere provisi Romæ, qui ex *Indultu* Congr. Conc. illam emiserunt coram urbis Vicario, quando ob locorum distantiam coram Episcopo, & capitulo intra duos menses a die possessionis emittere non poterant, ut de praxi rescribit Bened. XIV. in *Instit. Ecclesiast. Instit. 6.*

Parochi vero, si eamdem emisserint Romæ coram Datarario, neque amittunt fructus, neque coram Episcopo tenentur illam repetere ex Decr. Congr. Conc. 26. Martii 1739. in *Toletana* ad d. 4. relata in sol. ejusdem diei in *citata*. *Thesaur.* pag. 162.

Cum Tridentinum non decernat cui sint applicandi fructus ob omissionem professionis Fidei, Garzias de benef. part. 3. cap. 3. num. 41. & 42. dicit applicandos esse fabricæ Ecclesie, vel alio loco pio in habentibus fructus distinctos, & separatos a massa capitulari; in habentibus vero eisdem fructus in massa communi, distribuendos esse inter ceteros Canonicos.

Corrigendi sunt DD. afferentes fieri posse per procuratorem, attentis pluribus contrariis Decr. relata in d. *Cathac. & Tolet.*

Omnia vel ob ignorantiam, vel ob imprudenciam, non excusat saltem in foro exteriori. Navar. lib. 2. consil. 7. num. 2. neque excusat contraria consuetudo respectu provisorum a Sede Apostolica Bened. XIV. *Instit.* 30. 88. Nos quidem & Quod si parochus. *N. lam* omittens non juvenit regula 36. *Cancellarie de trienniali*; cum enim hæc constituta sit non ad obviandum hæresibus, ut onus professionis Fidei, sed ad consolidandum rituum, possessionem, ceteraque beneficii jura, quibus provisos minime privatur per dicitam omissionem, ut ex Decreto Congr. Conc. 2. Septembr. 1591. relata a Gallenar. in *declarata*. ad Trident. c. 12. sess. 24. de reform. num. 7. non extendenda est ad consolidandum dominium fructuum, quos Trident. ob ejusmodi omissionem declaravit restitui obnoxios, ut in *cit. cap. Navar. consil.* 7. num. 1. & DD. relata a Ferraris *prompta biblioth. verbo Canonice* art. 4. num. 27. & seq.

Licet ex Trid. *citata*. Constit. *Pii IV. & ex decr. Congr. Conc. in dicta Cathacen.* non teneantur ad hæc professionem Canonici collegiarum, alique beneficia, etiam simplicia obviantes; tenentur tamen vigore legum in omnibus fere diocessibus statutarum. Sic in locis, quos complectitur Concilium Romanum celebratum a Benedicto XIII. ann. 1725. ad eam tenentur sequentes sub penis in dicta Pii IV. Constit. *latas*, alique Episcoporum arbitria statuentis.

I. Episcopi, alique de clero recens Ecclesiasticis de beneficiis provisi, aut sacris Ordinibus initiati in diocesana synodo primo celebranda. II. Dignitates, & Canonicatus obviantes post adeptam possessionem, tum in manibus Episcopi, vel ejus Vicarii generalis, tum in capitulo infra bimestre. III. Beneficia cum animarum cura habentes, post ipsorum possessionem, infra idem tempus, in manibus tantummodo Episcopi, vel Vicarii generalis, prout & in alterutrum manibus. IV. Quicumque alia beneficia simplicia obviantes. V. Item novus Vicarius generalis: Vicarii foranei: procuratores, & promotores sive Episcopalis, cancellarii, ceterique ministri ejusdem curie. VI. Novi concionatores, etiam regulares. VII. Novi confessorii, etiam monialium VIII. Docentes publice, vel privatim theologiam, philosophiam, jus Canonicum, aut civile, vel inferiores quilibet disciplinas, etiam grammaticam. IX. Ac tandem medicinam, & chirurgiam exercentes.

TITULUS II

De Constitutionibus.

De hac materia agitur in Sexto eod. tit. In Decreto a d. 1. usque ad dist. 22. fere per tot. & d. 29. 38. 96. In Trid.

In Trid. *Sess.* 25. cap. 18. de reform. In instit. lib. 1. tit. 1. 2. 3. 4. In Codice tit. 14. usque ad 18. & Nov. 66.

Not. 1. quod Constitutio strictè accepta significet jus a summo principe politico, vel Ecclesiastico conditum arg. tit. ff. de Const. Princ. Hic autem late accipitur pro quocumque jure scripto etiam statuto cap. 6. 7. hoc, ubi statum capituli, & hancorum dicitur constitutio. Similiter Lex in jure Romano strictè accipitur pro illo jure, quod a summa potestate democratica totius populi latum est §. 4. in. de J. N. G. & C. l. 1. 2. ff. de LL. & quia populus potestatem suam transfudit in principem l. 1. ff. de Const. Princ. ideo constitutiones principum dicuntur Leges, & qui eas expliçant, Legisse. Hic autem Lex accipitur late pro quocumque jure scripto, five communi, five particulari, & cum nomen hoc Lex brevius sit, a potiori illo utemur.

Nota 2. Legis Ecclesiastice varia esse nomina potius, quam species: nam I. Canon est constitutio edita a Concilio, que si fidem concernat, vocatur dogma. 2. Epistola seu rescriptum est constitutio, quam edit Papa, aut Princeps ad subditorum consultationem, interpretando jus, & volendo responsum suum instar juris haberi l. 1. & l. 12. §. 1. C. de LL. qualia rescripta plurima sunt in jure Canon. & Codice. Decretum est sententia a Principe lata, quam ipse jubet pro lege communi observari l. 12. pr. C. de LL. Edictum est, quod Princeps motu proprio ad utilitatem, & honestatem subditorum statuit l. 1. §. 2. ff. de Const. Princ. & quidem si nullam penam continet, dicitur Interdictum, non pro censura, sed pro constitutione supplicandi; si vero transgressoribus penam statuit, dicitur Sanctio. Mandatum est, quod Papa suis Legatis, vel Princeps præfatis dat ad gubernandam suam provinciam cap. 2. 4. de off. leg. Sed hæc nomina sæpe in jure permiscuntur: sic enim in Trident. statuta morese concernentia vocantur Decreta reformationis &c. His præfatis, hic examinantur, i. natura, & divisio legis, 2. cause, & effectus, 3. obligatio legis penalitatis, & irritantis, fundatæ in presumptione, & fictione juris; & tandem mutatio, ac interpretatio legum.

§. I.

De natura, & divisione legis.

3. Q. I. Quid sit lex? R. Lex late sumpta est Communis præceptum, seu ordinatio rationis ad bonum commune ab eo, qui curam communis habet promulgata. S. D. 1. 2. q. 90. a. 4. & communis conformiter l. 1. 2. ff. de LL. nam per legem non aliud intelligimus quam certam, & stabilem regulam, qua auctoritative regatur communitas in ordine ad suum proprium bonum, ut ait Iudor. c. 2. d. 4. lex nullo privato commodo, sed pro communi utilitate civium conscripta. Ex his patet differentia inter legem, & præceptum specificè sumptum; nam lex debet esse 1. publica, & communis, quia a publica potestate fertur pro toto populo, 2. perpetua non positive, quasi semper deberet durare, sed negative, quia morte legislatoris non extinguitur, sed semper durat, nisi revocetur, vel contraria consuetudine ne tollatur l. 27. Cod. de testam. ibi: quod non mutatur, quare si revocatur? 3. rescripta ad certum territorium principis, extra quod non obligat, cum extra territorium jus dicenti non pareatur impune c. fin. h. t. in 6. l. fin. ff. de jurisd. Et contra præceptum de se est privatum, & uni dari potest etiam a patrefamilias, vel domino temporali, cum morte præcipientis extinguitur, juxta illud: mandatum morte mandantis interdicti ex l. 57. ff. Mandati & portigitur extra territorium, quia sequitur personam, ubicumque sit.

Objc. 1. Leges militares, pupillares, & privilegia Clericorum, Religiosorum &c. feruntur in bonum particulare harum personarum, uti & lex correctionis fraternelæ in bonum fratris. 2. In jure mentio fit legum privatarum, ut reg. 85. in 6. can. due sunt 19. q. 2. c. 16. de sponsal. 3. Populus fere potest leges arg. l. 1. 2. ff. de LL. sed in populo non est potestas publica, bene vero in Principe, ergo lex necessario non fertur a potestate publica.

R. Ad 1. Privilegia, que dicuntur leges personales l. 1. in fin. ff. de Constit. Princ. licet ordinant non obligent privilegiatos, obligant tamen ceteros de communitate, ne privilegiatum impediatur in usu sui privilegii; & ultimate tendunt in bonum commune, quia Reipubl. interest quibusdam personis ob speciales rationes certa privilegia concedere. Ad 2. Leges istæ sunt improprie tales; ut conventio contrabentium, votum, propositum &c. Ad 3. Dist. maj. populus in democratia, dum potestas summa est penes populum con, maj. in monarchia, neg. maj.

4. Q. II. Que sint requisita substantialia legis? R. 1. Ex parte Legislatoris est potestas jurisdictionis, & voluntas obligandi. 2. Ex parte materiae, ut sit honesta, justa, & possibilis. 3. Ex parte ipsius legis, ut sit secundum patriæ consuetudinem, cum non omnis lex in omni terra ferri possit, sed alio jure exigat regi-populus iste, alio ille; item ut sit loco, temporique conveniens, necessaria, utilis, & manifesta tum quoad sensum, ne quid per obscuritatem captionem contineat, tum quoad promulgationem, ut toti communitati innotescat, atque in ejus commodum cedat canon. 2. e. rit. d. 4. Si quid horum desit, etiam lex deficit, & ideo multæ constitutiones politice, & Ecclesiastice in certis locis non obligant, quia respectu horum locorum non sunt instructæ dictis requisitis.

5. Q. III. Quæ sit virtus, seu vis legis? R. duplex: directiva, quia lex est regula actum humanorum, & coercitiva, quia adigit subditos ad subobsequium, & transgressores punit. can. 2. d. 3. & c. 1. d. 4. Virtus autem legalis actus sunt quatuor imperare, vetare, permittere, punire l. 7. ff. de LL. nam ad virtutem directivam pertinet imperare actus bonos, vetare malos, permittere indifferentes, vel minus malos ad evitandum magis malos; ad coercitivam vero pertinet punire delicta contra legem commissa. Dices, legis etiam premiare bonos can. 4. d. 3. l. 1. §. 1. ff. de J. & J. item inhabilitare, irritare, rescindere transgressores domnia &c. ergo plures sunt actus legis. R. premiare transgressores est etiam privatorum: si vero premium sit legale per modum juris singularis (uti sunt multa privilegia Regularium, que Sedes Apostolica erga operarios suos liberalissima eis concessit ob labores in Ecclesia præstitos) reducuntur ad legem præcipientem, vel prohibentem, uti & ceteri actus relati.

6. Q. IV. Quomodo lex dividatur? R. I. In æternam, naturalem, & positivam. Æterna est ordinatio divine sapientie creaturas dirigentis in bonum commune universi, quod est gloria DEI. Naturalis active sumpta ex parte legislatoris est ipsa lex æterna DEI; sumpta vero passive ex parte creature, est lumen rationis dictans bonum facere, & malum declinare, cujus quædam umbra est in creaturis irrationalibus juxta illud l. 1. §. 3. ff. de J. & J. jus naturale est, quod natura omnia animalia docuit. Positiva ex eo dicta, quia aliquid ponit, seu superaddit legi naturali, est ordinatio, quæ ex pacto voluntatis aliquid constituit, quod ex se non est intrinsece bonum, vel malum. 2. Positiva alia est divina veteris, & novi testamenti, quæ posita est a Deo; alia humana, quæ a legislatore humano constituitur. De lege Angelica nihil hic inquirendum. 3. Lex humana est triplex: gentium, quæ inter integras gentes constituta est, & hæc potius ad jus consuetudinarium referenda est, cum ortum habeat ex tacito consensu gentium, Civilis, seu politica, quæ fertur a potestate laica, populi, vel optimatum, vel principis. Canonica, seu Ecclesiastica, quæ fertur a potestate spirituali Papæ, aut Prælatorum Ecclesie. 4. Lex alia est affirmativa, quæ præcipitur actus fieri; alia negativa, quæ prohibetur actus fieri, quibuscumque verbis effertur. 5. Lex dividitur in favorabilem, & odiosam: favorabilis primario fertur in favorem, seu commodum alicujus, licet secundario, & in consequentiam aliquid incommodum alteri adferat, uti SCrum Vellejan. leges pupillares, exemptiones Regularium &c. odiosa primario fertur in odium, seu detestationem alicujus, ut SCrum Macedonianum in detestationem feneratorum; item leges contra hæreticos, usurarios, simoniacos &c. Hic tamen observa, quod ex usu juris, & DD. privilegia contra jus commune, vel jus tertii concessa dicuntur odiosa, non quod in odium, & detestationem tertii lata sint, sed quod continent favo-

favorem unius, juri alterius derogent; ob quod etiam strictam habent interpretationem, ut privilegium percipiendi decimas in alterius parochia &c. Denique lex dividitur in *paenam*, *irritantem*, *fundatam in presumptione*, *vel fictione juris*, de quibus infra. Ceterum tractationem de jure naturali, & divino remittimus ad theologos, & videtur potest S. D. 1. 2. q. 91. & sequi ubi materiam istam solide tractat, praesertim explicando legem veterem circa praecipua moralia, caeremonialia, & judicialia, & novam legem Evangelicam, ubi dignissimus est lectus. Item Civilitate fuftrahant de jure naturali, & gentium, & civili ad tit. *Inst. de J. N. G. & C.* Nobis potissimum fermo in sequ. erit de lege Ecclesiastica, quamvis plurima accommodari possint legi civili.

§. II.

De causis, & effectu legis.

7. Q. I. *Quis possit condere leges Ecclesiasticas?* R. 1. Papa vel solus, vel cum concilio generali pro tota Ecclesia *dist. 19. per tot. ubi can. 2. dicitur: sic omnes Apostolicae Sedis sanctiones accipiende sunt, tanquam ipsius divi Petri voce firmate sint;* nam Papa etiam solus assumptus est in plenitudinem potestatis Ecclesiasticae. *c. 4. de auct. pallii.* 2. Concilia nationalia pro toto Regno, seu natione, provincialia pro provincia *dist. 18. per tot.* Episcopus vero sive solus, sive in Concilio diocesano leges fert tantum pro sua dioecesi; similiter Patriarcha, & Archiepiscopi extra Concilium nationale, vel provinciale non possunt leges ferre, nisi pro sua propria dioecesi, quia in subsidiis alienae dioecesis, quibusdam articulis exceptis, nullam potestatem habent. *c. 11. de off. ordin.* 3. Legati Apostolici in provincia suae legationis *c. fin. de offic. legat.* nam ibi jurisdictionem ordinariam habent. 4. Collegium Cardinalium Sede Papali vacante, non potest condere leges pro tota Ecclesia. Ita Gregor. X. in Conc. Lugdun. relato in *cap. 3. de elect. in 6. ibi dicitur: quomodo Cardd.* quam constit. confirmavit Clem. V. in Conc. Vien. relato *Clem. 2. cod. ex qua ratio defumitur*, quia potestas Papalis non transit in collegium Cardinalium: sicut nec Christus summam potestatem dedit Ecclesiae scilicet a Petro, sed Petro super totam Ecclesiam: nec novus Papa potestatem accipit a Cardinalibus electoribus, sicut accipit Rex a populo, sed immediate a Christo *Joan. 21. postquam meas*, ergo defectu summae potestatis d. collegium non potest leges ferre pro tota Ecclesia, sed tantum aliqua disponente pro instantibus necessitatibus *cit. c. 3. in 6.* Nec absurdum est, quod Ecclesia illo tempore sit sine capite visibile, quia neque id absurdum fuit Christo per titulum mortuo. At Cardinales in Ecclesiis suorum titulorum possunt leges condere, quia ex privilegio habentur in illis pro Ordinariis. 5. *Capitulum cathedrae* Sede vacante potest ferre leges pro tota dioecesi, quia mortuo Episcopo, ex juris dispositione jurisdictione necessaria transit in capitulum *c. 14. de M. & O. c. 1. cod. in 6. & c. 3. de suppl. negl. in 6.* nam Papa ob causam necessitatis, & utilitatis hanc jurisdictionem concedere potuit capitulo, licet totam dignitatem, & jurisdictionem Papalem non possit transferre in Collegium Cardinalium. At Sede plena Canonici non possunt condere nisi aliqua statuta, quibus tantum ipsi soli obligentur citra praedictum Episcopi, & Ecclesiae *c. 6. h. 1. & arg. cap. 9. de consuet. a sens. contr. 6.* Praelati inferiores, & Regulares, quibus jurisdictione competit, leges condere possunt, quantum eis a jure, & propria regula permittitur.

8. Q. II. *An Papa, & principes Ecclesiastici condere possint leges civiles pro suis territoriis?* R. affirmative per *extrav. 1. de Ma. & O. inter com.* nam potestas spiritualis, utpote superior, non excludit politicam, utpote inferiorem, sed potius eam perficit. At extra territorium sibi subjectum Papa non potest leges civiles ferre, *c. 13. de iudic. nisi per accidens*, ita exigente bono spirituali.

9. Q. III. *An Praelati Papa inferiores condere possint leges contrarias juri communi Pontificio?* R. negative ex *can. 7. institutionibus 25. q. 2. & c. 9. de M. & O. ibi: dummodo in ipsa Synodo non ducas aliqua statuentium, quod Canonice obviet institutis:*

nam Papa est ordinarius Ordinationum, & pastor universalis, cuius jus debet esse regula aliorum Jurium Ecclesiasticorum; ergo scire inferior non potest ligare superiorem, ita nec scire legem ipsius. Nec obstat, quod Principes Imperii condant juri communi civili nam isti in suo territorio non recognoscunt superiorum, cuius jurisdictione immediate terminetur ad eorum subditos: secus est in Papa, & Praelatis inferioribus.

10. Q. IV. *Quo fit materia, seu objectum legis Ecclesiasticae?* R. 1. Objectum legis praecipiens per se est actus bonus ut faciendus, *vetamini* actus malus, ut omitterendus, *permissum* actus ex se indifferens, vel permissio minoris mali ad evitandum majus malum, quae permissio respectu Legislatoris est bona, cum non sit approbativa mali, sed tantum poene dissimulativa. Praeterea actus ex se indifferens, si necessarii, vel utiles sint ad bonum commune possunt esse materia legis praecipiens; vel e contra si obstant bono communi, materia legis vetantis, quia in talibus circumstantiis desinunt esse indifferens.

11. Q. V. *An actus mere internus possit esse materia legis Ecclesiasticae?* Affirmat Gloss. in *Clem. 1. de heret. Carden.* & alii, negat S. D. 1. 2. q. 94. ar. 4. & q. 100. ar. 9. cum plurimis TT. & Can. cum quibus R. negative. *arg. c. 24. Tua via de simon. ibi: nobis datum est de manifestis tanquammodo judicare*, ergo & leges ferre, cum potestas iudicaria descendat ex legislativa, & *can. 13. de poenit. d. 1. cogitationis poenam nemo patitur*, ergo sicut potestas humana non potest punire actum mere internum, ita nec potest illum praecipere vel prohibere, cum de ratione legis non tantum sit vis directiva, sed etiam coactiva *arg. can. 1. d. 4. Ratio est*, quia licet Deus absolute poterit dare Ecclesiae potestatem in actus internos, reservando sibi iudicium, & punitionem, de facto tamen cum datum non constat: tum quia cum solus Deus sit scrutator cordium, sufficit ejus lex naturalis, & divina positiva ad dirigendos actus internos: tum quia conveniens est Ecclesiam sensibilem gubernari legibus sensibilibus, seu circa materiam externam labis; tum quia actus mere interni nec profunt, nec obstant bono communi spirituali in externo gubernio relictis: tum quia haecenus nullum simile praecceptum, nec ab Apostolis, nec a Conciliis, nec a SS. Pontificibus promulgatum est.

Obj. adversarii 1. generalem potestatem Papae ligandi, & solvendi, & *can. 3. ibid. propos. n. 25. ab Innoc. XI. damnatam*, 4. *Clem. 1. de heretico. ibi: quod si ovis, & Clem. 1. §. quia vero, de statu Monach. Const. Bened. XIII. Ex quo §. 6. ibi: animo praemeditato*, ubi ab asylo excluditur committens homicidium animo praemeditato. *5. can. 3. d. 30. & Concil. Const. Trident. & alia anathematizantia omnes sentientes contrarium dogmatibus ab Ecclesia definitis: talis autem sentis, seu iudicium est internum.* 6. Papa reservat, & dissolvit vota interna *Extrav. 5. de poenit. & rem. c. 2. & 5. de voto &c.*

R. ad 1. generalitas potestatis legislativae restringenda est ad actus externos: nam sicut Papa actus mere internos solvere nequit per iudicium, ita nec eos ligare potest per legem. Ad 2. Papa, & Ecclesia declarat, quando, & quo modo jus naturale, & divinum circa fidem obliget in conscientia, non vero lege humana praecipit actus internos fidei, spci &c. Ad 3. actus externus v.g. confessionis, communionis, orationis directae praecipitur, indirecte vero actus internus tanquam necessarius ad positionem exterioris. Ad 4. lex est circa actum, vel omissionem exteriorum, ut fit ex pravo sine, vel intentione, ut in Inquisitionibus ex amore, vel odio non procedant, si monachi accedant Curias Principum animo nocendi suis Praelatis &c. Ad 5. sensum interiore catholicum exigit jus naturale, & divinum, anathema vero Ecclesia infigit, si heresis prorumpat in actum exteriorum, etiam occultum. Ad 6. nec reservare, nec dissolvere vota interna, est praecipere actum mere internum: nam reservatio est restrictio jurisdictionis externae, dissolutio vero voti est ablatio obligationis a voluntate votantis inducitur.

12. Q. VI. *An actus praeteritus sit materia legis?* R. non est materia legis praecipiens, vel prohibentis, vel

vel punientis regulariter loquendo. Ita c. 3. & *fin. b. 1. ex l. 7. C. de LL. ibi: leges, & constitutiones futuris certum est dare formam negotii, non ad facta praeterita revocari, nisi nominatim, & de praeterito tempore.* & adhuc penitentibus negotiis tantum sit: nam legis est dirigere, sed facta praeterita amplius dirigere non possunt. R. 2. Actus praeteritus sicut potest esse objectum sententiae iudicialis rescindens, ita quoque legis irritantis, modo irritatio praeteritorum in lege exprimitur. *c. 6. 7. 10. 12. h. 1. c. 8. 9. 10. de Resor. Trid. sess. 7. c. 2. 3. 6. 9. de reform. sess. 24. c. 4. &c.* Similiter actus praeteritus potest esse objectum legis interpretativae, quae declarat iusnaturalis existens, legis naturale, sive positivum, quo sensu explicatur *c. 40. ut lex. 27. q. 1. c. fin. de Spons. duor. c. 40. ut de simon. c. 5. de usur. ubi declaratur ius naturale de usuris; excommunicatio vero tangit eos, qui de praesenti usuras tenent, & restituere nolunt.* R. 3. Personis antea institutis lex praescribere potest novam formam, & conditionem, puta circa actus futuros. *Clem. 2. de elec. & qualis. praes. Trident. sess. 22. c. 4. de reform. sess. 25. cap. 21. de Reg. Ec. R. 4. Princeps delicta praeterita, quibus determinata poena non fuit annexa, arbitraria poena punire potest, & hanc in posterum pro ordinaria statuere, quo sensu explicatur *can. 3. 7. caus. 35. q. 9. & c. 39. & fin. de Resor.* alioquin praeteritis delictis infingenda est poena prioribus legibus statuta *arg. c. 2. h. 1.**

13. Q. VII. *Quo requirantur ad formam extrinsecam legis?* R. sequentes solemnitates, ex quibus colligitur legislatoris imperium, seu forma intrinseca legis. Et 1. requiruntur verba obligationem significancia, ut *praecipimus, prohibemus, nullus presumat &c.* verba dubia, ut *ordinamus, sancimus, caveat, non sinit, & similia*, nisi aliud ex subiecta materia colligatur, non tam imperium, quam consilium, seu decetiam significare praesumantur. 2. requiruntur promulgatio publica toti communitati facta, ita ut lex ex parte sui non sit obligatoria citius, nisi ut promulgata *canon. 3. d. 4. ibi: leges instituantur, cum promulgantur*: nam lex, seu praecceptum commune, ex natura sua exigit legi coram populo *l. 1. 2. ff. de LL. ut non infusione privata, sed auctoritative denuncietur, & intelligatur ab omnibus l. 3. q. 9. C. LL. ergo promulgatio activa requiritur ad substantiam legis, non tamen scripta *can. 7. institutionibus 25. q. 2. ibi: sine qua scripto decreverimus: sine qua in nostra praesentia videtur esse dispositio.* Unde ordinatio in consistorio legislatoris facta, & praelecta, antequam publica promulgatione compleatur, non est obligatoria, nec actu lex, sed solum aptitudo: quo sensu procedit hoc articulo: *quam promulgantur* (hoc est concipiuntur) *quam promulgantur*.*

14. 3. Ut lex Pontificia obliget, sufficit eam Romae fuisse sufficienter, & publice promulgatam. Ita hodie comm. sententia est styli Curiae Romanae, qui vim juris habet. Quod ipsum praxis, & experientia probat: nam regule Cancellariae in materia communi, multae constitutiones Pontificiae sunt obligatoriae, licet extra Romam non sint promulgatae: siquidem quod Romae, tanquam in communi fidelium patria promulgatur, censetur ubique esse promulgatum, & notum. Excipit, nisi in ipsa constitutione Pontificia praecipatur, ut promulgatio fiat in singulis dioecibus, vel terminis obligationis future assignetur, ut *cap. 13. de poenit. & remiss. Bulla Pii IV. Sicut ad facrorum ad calcem Trid. &c.* His non obstat *not. 66. in Rubr. ubi statuitur legem civilem non esse obligatoriam, nisi post bimestre publicationem in singulis provinciis facta: nam solemnitates istae civiles nunquam receptae erant a Curia Romana; vel si aliquando observatae sunt, hodie iure styli Romani eis derogatum est, ut opposita sententia Pichler, & antiquiorum non mihi videatur satis tuta pro foro interno; alioquin ad observantia plurimarum constitutionum, quae hic in nostris partibus solentur publicatae non sunt, excusentur.*

15. Q. VIII. *An lex pendens a populi acceptatione, ita ut haec requiratur ad formam, seu solemnitatem legis?* R. negative: nam Alex. VII. damnavit hanc propositionem. *Populus non peccat, est absque ulla causa non recipiat legem a principe promulgatam*, ergo lex est obligatoria ante acceptationem populi. Ratio quoad legem Pontificiam est, quia B. Petrus, eisque suc-

cessores acceperunt potestatem legislativam, non a fidelibus, sed immediate a Christo, *Matth. 16. Joan. ult.* ergo lex Pontificia ut obligatoria non pendet ab acceptatione fidelium. Quoad legem civilem principis prob. ex *l. 1. princ. ff. de Constit. Princ. quod Principi placuit, legis habet vigorem*, ergo vigor, seu obligatio legis pendet a sola voluntate Principis debite communitati intimata. Ratio utriusque est, quia is, qui tenetur obedire legi, non habet in arbitrio acceptare, vel rejicere legem: imo sicut obedientia, ita & acceptatio est effectus legis, sed subditi tenentur obedire legi Superioris ex praeccepto IV. decalogi, & *Rom. 13. omnis anima &c.* ergo. Interim tamen consensus populi in legem multum conducit ad firmitatem accidentalem legis, ne illi contraria consuetudo prevaleat per *can. 3. d. 4. ibi: leges firmantur, cum moribus venturum approbantur.*

Obj. 1. Lex pendet a sponse populi *l. 1. 2. ff. de LL. & l. 32. eodem*: ibi: *nam cum ipsa leges*, vel a consensu procerum *l. 8. C. de LL. 2.* Communiter dicimus: *Lex ista non obligat, quia non est recepta.* Quo facit *c. 6. de Cler. conv. can. 2. & sequ. d. 4.* in cuius fine subijciunt: *haec est legibus confirmata sunt, tamen una communi usu approbata non sunt &c.*

R. ad 1. *Civ. leges* procedunt in democratia populi Romanorum, & tunc lex ut condenda pendebat a consensu populi, non vero ut condita; de hac enim dicitur *cit. l. 2. lex est, cui omnes obtemperare convenit*. Idem dicitur in aristocratia respectu optimatum, & in monarchia, ubi proceres, vel populus reservavit sibi suffragium in ferenda lege: *l. 8. C. procedi de previa consultatione procerum.* Ad 2. phrasia ista hanc habet sententiam, quod populus iusta habeat gravamina, ob qua lex aliqua vel non est moraliter possibilis, vel non factis illis communicari, in quibus circumstantiis lex deficit a sua vi *can. 2. d. 4.* Sic iura in contrarium solvantur.

16. Q. IX. *Quis sit finis legis?* R. intrinsecus, & proximus est honestas objecti cadentis sub legem, extrinsecus, & ultimus est bonum commune Republicae, seu civis facere bonos, & felices; nam lex pro communi civium utilitate conscripta est: *can. 2. d. 4.*

17. Q. X. *Quis sit effectus legis?* R. primarius est obligatio ad sui observantiam *l. 2. ff. & l. 3. C. de LL. & c. 1. h. 1. Canonum statuta custodiamur ab omnibus*. Porro omnis lex proprie talis, ut differat a consilio, quod non est obligatorium, debet in conscientia ad aliquid obligare, vel immediate ex parte materiae praecipit, vel prohibita, ut actus fiat, vel non fiat; vel permittit, ne quis impediatur in actu permisso, vel saltem mediate post sententiam iudicis ad penam legibus taxatam, aut arbitriam; ita ut delinquens ex culpa iudicis teneatur in conscientia habere poenam a iudice inflictam: nam omnis lex est rationabile Superioris praecceptum, cui parere praecipit sui naturale utique in conscientia obligans. R. 2. Legislator humanus obligare potest in conscientia ad culpam theologiceam. Ita sententia certa ex praeccepto IV. Decalogi, & *Rom. 13. v. 1. & sequ. & 1. Petri c. 2. ibi: subditi estote propter Deum &c. quia sic est voluntas Dei.* Ex quibus textibus ratio desumitur: nam quod Deus, & jus naturale praecipit in thesi, seu genere, hoc legislator humanus determinat in hypothesi, seu in specie, & particularibus circumstantiis, v. g. jus naturale dicitur Deum esse colendum, Papa hoc jus determinat, ut Deus colatur hoc modo per celebrationem certi festi, auditionem missae, recitationem horarum Canonicearum &c. jus naturale dicitur principem esse sustentandum a subditis, quorum saluti invigilat, princeps hoc jus determinat, ut quisque subditus, servata proportione, ad hanc sustentationem concurrat per iusta tributa imposita &c. ergo sicut jus naturale obligat in conscientia, ita quoque lex humana determinativa juris naturalis obligare potest in conscientia ad culpam theologiceam, quia scilicet *haec est voluntas Dei*. Ex quo solvitur principale argumentum: quod inferior non possit obligare in foro superioris, neque ad poenam, quam ipse infligere nequit, uti est poena aeterna pro culpa mortali: nam ex voluntate, & concessione Dei potest homo obligare in foro conscientiae, ita ut inflicto poena aeterna reservetur iudicio divino.

18. Q. XI. *Quis lege humana obligari possit?* R. 1. Genes.

Generaliter solus subditus iurisdictioni Legislatoris lege ipsius directe obligari potest. *l. 2. ff. de LL. ibi adcuriam prescripsum omnes, qui in ea Republica sunt, vitam inspicere debent.* Hinc Clerici non tenentur legibus civilibus, quia non sunt subditi potestati laicae. *l. 10. h. tit. Si tamen leges in materia communi, & accommodata late sint pro felicitate redundante non solum in laicos, sed etiam in Clericos, hi saltem indirecte illis obligantur, idque ex generali Pontificis permissione, quam suadet aequitas naturalis.* *Re. 2. Legibus Ecclesiasticis ligantur omnes baptizati, etiam haeretici usum rationis habentes. c. 1. h. tit. Hinc minoribus septennio, ubi usus rationis non praesumitur adesse, & impuberibus usum rationis necdum pollutibus licite dantur carnes die veneris, quia hi nec in actu primo inceperunt obligari legibus Ecclesiasticis. E contra quia ebrii, vel amentes saltem habitualiter obligati sunt ad legibus, & infantes lege naturali congeniti, ideo nec ebrii die vestito carnes licite dantur, nec infantes licite incitantur ad id, quod iure naturali est vetitum.* *Re. 3. Peregrini extra territorium suum existentes, non tenentur legibus sui territorii. cap. final. hoc tit. in 6. quia lex non egreditur fines territorii. Similiter peregrini non obligantur legibus particularibus alieni territorii, quia non sunt subditi, nisi ratio facultati aliud exeat: quo sensu explicatur *c. an. 11. d. 12. c. 2. de obser. ierum.* At obligantur legibus communibus pro communi utilitate incolarum, & peregrinorum laicis, ut circa vechgalia, contractus &c. *Re. 4. Religiosi exempti non ligantur legibus diocesanis, quia non sunt Episcopo subditi. Excipit casus a iure expressos, ut observare interdicia, & festa ab Ordinaris promulgata, ire ad consuetas processiones publicas. Trident. Sess. 25. c. 12. c. 14. de Regul. nisi specialiter exempti sint a processibus.**

19. Q. XII. An princeps in materia sibi accommodata indirec- te obligetur suis legibus? Schmalzgr. Salmann. & alii docent non obligari, nisi ratione scandali, & alias ex sola decencia, & honestate naturali. Sed verior sententia cum S. D. 1. 2. q. 96. a. 5. ad 3. docet obligari, non quidem quoad vim coercitivam, quia non habet superiorem, a quo puniatur, sed quoad vim directivam, seu in conscientia. Cum hac sententia *Re. affirmative*, conformiter dicto Christi *Matth. 23. aliquid contra imperabilia &c. Prob. 1. ex can. 2. d. 9. iustus est Principem legibus obtemperare suis &c. & c. 6. h. t. ubi Innoc. III. approbat plenum aequitatem eundem ipse uti debet, quo etiam facit *can. 20. non liceat 12. q. 2. Prob. 2. ex l. 4. C. de LL. digna vox est maiestate regnantis legibus alligatum se Principem profiteri, revera manus imperio est submittere legibus Principatum.* Idem probatur ex *S. fin. In quib. mod. reslam. infir. l. 3. C. de reslam. & confirmatur auctoritate S. Th. loc. cit. dicens: quantum ad Dei iudicium Princeps non est solutus a lege, quantum ad vim directivam eius, qui tenus plus sane probant, quam obligationem solius decencie. Ratio etiam est, quia ius naturale dicitur Principem debere praevocare suis subditis in observantia legum pro bono communi conditum, cum ille magis, quam subditi, teneatur studere bono communi; tum quia caput debet conformari suis membris per *can. 2. d. 8. turpis est omnis pars suo universo non congruens.***

Obj. 1. non apparet, unde ista obligatio proveniat? 2. Obligatio legalis procedit a iurisdictione superioris *l. 51. ff. de receptis qui arbit. l. 10. ff. de iurisdic. c. 20. de elect. ibi: cum non habeat.* Princeps autem non est se ipso superior. 3. Princeps non obligatur legibus suorum antecessorum *l. c. 20. de elect. cum non habeat imperium par in parem,* ergo nec suis legibus. 4. Princeps legibus solutus est *l. 31. ff. de Testam. S. fin. In quib. mod. reslam. infir. Nov. 105. c. 2. in fin. 5. Ridelica est obligatio, quam tollere est in potestate obligati, sed Princeps tollere potest suam obligationem, abrogando legem, vel in ea dispensando.*

Re. ad 1. Obligatio ista provenit ex iure naturali, non absolute, sed conditionate, seu ex suppositione, quod Princeps legem iuriter bono communi utilem: tunc enim non minus, imo magis Princeps, quam subditi, teneatur hoc bonum procurare per observantiam legis; & ideo durum iudicium his qui praesunt. *Ad*

2. Diff. maj. obligatio directa, conc. maj. indirecta, neg. maj. Princeps indirecte solum obligatur a sua lege, directe vero a Deo superiore, seu iure naturali: non quidem absolute, sed ex suppositione, ut mox dictum. *Ad 3.* quomodo leges istae manent, obligantur indirecte, licet supra leges sit eo sensu, quod ex iusta causa eas tollere, immutare, vel dispensando relaxare possit: quo sensu procedit *cit. c. 20. de elect. Nov. 105. c. 2. in fin.* ubi leges ab ipso Deo dicuntur sublata esse Principi. *Ad 4.* Princeps quoad vim coercitivam solutus est legibus, non vero quoad vim directivam, ut ex probat, nisi materia non esset accommodata Principi, sicut in legibus venatoriis, piscatoriis, circa arma gestanda &c. *Ad 5.* Princeps sine iusta causa non potest licite tollere, vel dispensando relaxare legem bono communi utilem, ergo obligatio ista non est ridicula, imo si tollat legem, cessat inaequalitas inter eam, & subditos, sed quare, an etiam legibus irritantibus Princeps ligetur? *Re. 1.* si irritatio apponitur est propter honestatem morum, & securitatem iudicium; Princeps teneatur attendere actus ab aliis celebratos sub praescriptis solemnitatibus; & ideo ex imperfecto testamento non capit haereditatem, vel legatum, *l. 23. ff. de legat. 3. & l. 4. C. ad L. Falc. At si ipse Princeps scienter omisit solemnitatibus actum retar. dispensare secum censetur. l. 8. ff. de Manuiss. l. 3. ff. de off. Praetor. l. 19. C. de reslam. quia summa majestas purgat omnem suspicionem fraudis. 2. Si irritatio est inducta a iure humano, Princeps, sicut non ligatur legibus, ita nec actus ab eo gestus est irritus.*

s. III.

De lege penali, & irritante.

20. Q. I. Quid, quomplex, & qualiter obligatoria sit lex penalis? *Re. 1.* Lex penalis est, quae transgressori poenam statuit. Est duplex, *penalis*, quae praescripte obligat ad poenam, & *mixta*, quae aliquid praecipit, vel prohibet sub certa poena, etque vel *copulative mixta*, quae obligat sub culpa, & poena, v. g. prohibemus, ne Sacerdos in scenam prodeat sub poena depositionis; vel *disjunctive mixta*, quae alternative mixta, quae obligat ad alterum in textu expressum, v. gr. Clericus in minoribus Ordinibus constitutus uxorem non ducat, aut privatus beneficio existat. Poena alia est *sententia lata*, quae ipso iure, & facto incurritur, alia *ferenda*, quae primum post sententiam iudicis incurritur. Item alia est *medicinalis*, quae propter praesentem contumaciam insinuat ad emendationem, & resipiscentiam delinquentis, uti sunt censurae, alia *vindictiva*, quae in punitionem prioris delicti statuta est. Rursus alia est *positiva*, quae ad sui executionem opus habet positiva actione, ut solvere pecuniam &c. alia *privativa* proprie, quae delinquentem privat iure iam quassito, ut officio, beneficio &c. alia *conditionalis*, seu *privativa improprie*, quae ob defectum conditionis privat certo iure, aut favore, quem jus non aliter concedit, nisi impleta conditione. Sic privilegio fori privatur minorum non beneficiarum, si habitum, & tonsuram non deserat, & alicui Ecclesiae non deserviat, & Canonicus privatur fructibus pro rata, si horas Canon. omittat. Est haec *conditionalis* non est proprie poena, sed negotio cuiusdam beneficii sub conditione concessi, quae non posita, non acquiritur hoc jus, & beneficium. *Re. 2.* Dabilis est lex pure penalis: nam tota vis legis pendet a voluntate Principis *arg. l. 1. ff. de Constit. Princ.* ergo si Princeps vult, obligare potest ad solam poenam, v. g. quicumque venatus fuerit, pendet 30. quo casu committitur venando culpa theologica, sed tantum civilis, & iudicia. Tales leges censentur esse plerumque venatoria, militares &c. His non obstat *c. 2. de Const. can. 4. d. 3. c. 1. & seq. de penis, l. 2. ff. de LL. ibi: iustorum, & infistorum, paritas a censuris, poena conventionalis, mortis &c. nam ut aliqua poena incuratur, sufficit culpa politica, seu iudicia *arg. reg. 23. in 6. Re. 3.* Poena *medicinalis*, uti censura, ipso iure lata incurritur ante sententiam declaratoriam, quia tendit ad emendationem. *Vindictiva*, sive sit *positiva*, sive *privativa*, est ipso iure inextinguenda, non stingit, nisi post sententiam declaratoriam criminis, quia ab humanitate*

alienum est, ut quis sui ipsius vindex sit spoliando se possessione, beneficio &c. sententia tamen lata retrotrahitur ad tempus delicti. Si vero poena fuit *ferenda sententia*, non habet effectum suum, nisi post sententiam condemnatoriam. *Conditionalis*, non non sit proprie poena, sed dispositio juris concedens ius querendum sub conditione, incurritur ante sententiam iudicis, quia Legislator non vult aliter ius istud concedere, nisi posita conditione. Plura de his ad *tit. de penis, & tit. de sent. excom. lib. 5.*

21. Q. II. Quid, & quomplex sit lex irritans? *Re. 1.* Est, quae actum contra formam iuris celebratum reddit invalidum, sed nullum; & ista irritatio fieri potest dupliciter: *expresse* addito decreto, seu clausula irritante, v. g. *aliquin actus sit ipso iure, ipso facto nullus, nullius roboris, nullas vires, nullam firmitatem obtineat &c. tacite, vel equivalente*, dum lex actui praescribit formam substantialem, sine qua actus utique est nullus. Quando autem lex praescribit formam substantialem, & quando accidentalem, ex subiecta materia, & textu colligi debet.

22. *Re. 2. Lex prohibens non hoc ipso est irritans.* Ita Canonice contra multos Legistas. *Prob. ex c. 16. ad Apostolicam de Regul. ibi: nulla feri prohibentur, quae, si facta fuerint, obintorboris firmitatem:* imo nec de iure civili lex simpliciter prohibens est hoc ipso irritans: nam secundum nuptia intra tempora lactus prohibentur femine sub poena infamiae *l. 1. c. 2. C. de secund. nupr.* & tamen non irritantur iure civili. Secunda venditio rei venditae prohibetur sub poena falsi *l. 21. ff. ad L. Corn. de fals. & tamen talis venditio iure tenet l. 15. C. de R. P. Sententia sub conditione prohibetur dici, & tamen dicta valet l. 1. s. 5. ff. quando appell. Ratio est, quia haec duo: *prohibere, & irritare* sunt diversa, neque unum inferunt ex altero: sic enim testamentum ius solemnitaribus, professio Religiosa ante expletum annum 16. irritatur, non tamen prohibetur, cum ita restari, vel profiteri non sit peccatum, & contra matrimonium sine denunciationibus, vel cum voto simpliciter castitatis graviter prohibetur, non tamen irritatur, ergo. His non obstat celebris *lex 5. non dubium C. de LL. ibi: licet Legislator prohiberit tantum &c.* nam, cum lex ista contradicat iuribus alicui, intelligenda est de illa lege prohibente, quae virtualiter est irritativa, ut si praescribat actui formam substantialem. Ceteri textus, ut *reg. 64. in 6. s. 7. In quib. ex caus. manum. s. 1. de adop. & similes* dicentes actum contra ius gestum esse nullum, intelligendi sunt de nullitate, vel ipso iure, si lex est irritans, vel quoad effectum, si lex est pure prohibens, quia actus contra eam gestus rescindi potest, si natura sua solabilis est. Sicut contra actus ipso iure nullus dicitur quandoque rescindendus non de iure, quasi fuisset validus, sed de facto, quatenus declaratur per sententiam fuisse invalidum, seu nullum. Quae doctrina, cum sepe sit necessaria, bene est notanda.*

23. Q. III. An lex sit irritans reddat actum invalidandum, seu nullum pro foro externo, quam interno? In hac celebri controversia certum est actum pro utroque foro esse nullum, si lex expresse mentionem faciat fori interni, v. g. *ut actus nec in conscientia, nec coram Deo valeat, vel sit nullus absque declaratione &c.* Sic non valet provisio fimonica in beneficiis *extrav. 2. de Simon. in com. ibi: per electiones vero &c. collatio beneficii excommunicato facta c. 7. de Cler. Excom. vel usurario, an infami c. 11. de excess. Prelat.* Sic etiam iure civili infames redduntur inhabiles ad dignitates, *un. C. de infami. l. 2. C. de dignitat. & exreg. pen. in 6. infamibus porie non vaseant dignitatem.* Superest questio, an si lex tantum communitur irritare actum, v. g. testamentum, electionem &c. actus iste desitutus solemnitatibus iuris sit nullus etiam pro foro interno? negativum sustinent Innoc. Abt. Jo. Andr. Laym. Pichler. Reiff. cit. Schmalzgr. autem, nescio quibus principis nexus, in hoc variat: nam alienationes rerum Ecclesiae sine solemnitate dicit valere pro foro interno, testamentum vero non valere, adeoque doctorem hunc clarissimum neutri sententiae tuo adscribere possum. Affirmativam defendunt Salmannic, cum cit. Suar. Barbof. Schmier. & plurimi alii celebres TT. & Canoniste: cum vero notitia utriusque sententiae sit valde utilis pro praxi, fundamenta generalia pro utraque afferam.

P. Remigii a S. Erasmo. Pars I.

Fundamenta sententiae affirmativa dicentis legem irritantem habere locum in utroque foro: 1. Certum est ex iure naturali, & divino, quod leges pro bono communi lae obligent in conscientia, ut patet ex precepto 4. decalog. *& Rom. 13. omnis anima &c. & Canon. 1. d. 8. ibi: ipsa iura humana per Imperatores, & Reges Seculi Deus distribuit generi humano, & Canon. 1. d. 9. ibi: quicumque ergo legibus Imperatorum obtemperare non vult, acquirit grande supplicium;* ergo etiam leges irritantes, quae maxime conducunt ad bonum Reip. obligant in conscientia. *Dices:* obligant quidem, sed mediate, scilicet mediante sententia iudicis. *Sed contra est:* tum quia haec responsio nullum habet solidum fundamentum in iure, cum offendi nequeat, nisi forsan a legibus poenalibus vindictivis, inter quas tamen, & leges irritantes est disparitas aperta; tum quia leges, nisi legislator aliud exprimat, per se primo obligant ad id, de quo disponunt, ergo si leges irritant actum, obligant per se, ne quis illo actu utatur tanquam valido. *Prob. 2.* Lex iusta in foro externo, est etiam iusta in foro interno, siquidem iustitia legis, cum non sit hypocritica, non minus deservit pro foro interno, quam externo *arg. l. 1. s. 1. ff. de J. & J. ibi: iustitiam namque colimus &c.* sed leges irritantes sunt iustae in foro externo, ut omnes concedunt, ergo etiam in interno, ergo illis parendum est antequam illam sententiam. *Prob. 3.* Actus gestus a personis inhabilibus est nullus in utroque foro, ut facile conceditur *arg. Can. 4. c. 5. d. 10. quia inhabilis caret facultate ponendi actum, fed irritato perlegent actu, persona sunt inhabiles ad illum ponendum: tum quia implicate actu tanquam specificativo, implicat potentia, tanquam specificatum; tum quia legislator hoc ipso quod irritat actum, tacite, & comprehensive irritat omnem potentiam ad actum faciendum, alias daretur potentia ad aliquid irritum, ergo. *Prob. 4.* Ideo leges communitur irritantes non obligant immediate in foro interno, quia in eis non fit mentio de illo, nec de inhabilitate, atque ita cum correctoria sint iuris naturalis, restringi debent ad forum externum; sed haec ratio, praeterquam quod nullo iure nitatur, etiam nimis probat, & subvertit ea, quae certa sunt in utroque iure, ergo; *Prob. min. 1.* iudex in foro externo declarando actum irritum, obligat in conscientia, licet nullam mentionem fori interni faciat; praecipuum autem iudicis non est fortius lege, cum iudex vi legis obliget. 2. *Trid. Sess. 24. c. 1. de ref. marr. irritando matrimonium clandestinum obligat in conscientia, licet non meminerit de foro interno, & Sess. 25. c. 15. de Regul. irritando professionem Religiosam irritat eam pro utroque foro, nulla facta mentione fori interni, aut inhabilitatis.* Item jus Can. inducens impedimenta dirimentia matrimonii obligat pro utroque foro, licet vix alicubi mentionem fori interni faciat, 3. iuxta *c. 1. de sent. & re. jud. l. 1. ff. que sent. sine app. rescind. sententia contra Canones, vel leges lata, est nulla in utroque foro, licet nulla mentio fiat fori interni &c. ergo. *Probatur 5.* Leges fundatae in periculo universalis, obligant immediate in conscientia, exceptis poenis vindictivis, quae insingende sunt per iudicem, sed leges irritantes ferre omnes fundantur in periculo universalis fraudum, damnorum, & similibus malorum in electionibus, testamentis, alienationibus, iudiciis &c. ergo obligant immediate in conscientia.**

Fundamenta sententiae negativa dicentis leges communitur irritantes non habere locum in foro interno, nisi mediate, scilicet mediante sententia iudicis, cui tanquam precepto iusto in conscientia parendum est. *Prob. 1.* Leges irritantes actum ipso iure sunt correctoriae iuris naturalis, ergo tanquam odiosa restringentur ad forum externum, nisi aliud exprimat, ex quo significetur obligatio pro foro interno. 2. Jura dum volunt irrationem observari in foro interno, id exprimitur claris terminis, ut *extrav. 2. de elect. inter com.* ergo a sensu contr. ubi non exprimitur obligationem pro foro interno, censentur obligare solum pro externo. 3. *Juxta reg. 57. in 6. contra eum, qui legem dicere potuit aperius, interpretatio est facienda,* sed legislator, si voluisset obligare pro foro interno, id dicere potuit apertius, ergo. 4. Actus iure irriti dicuntur irritandi, vel rescindendi, *cap. 40. de elect. cap. 8. de consuet. tit. ff. que sententia sine appellatione rescindantur.*

P ergo

ergo actus isti erant validi, cum rescisso supponat actum validum, sed non erant validi pro foro externo, ergo saltem pro interno. 5. Leges simpliciter, & communiter irritantes ita usu communi, & moribus receptae sunt, ut homines passim existimant se non aliter se obligari, quam post sententiam iudicis: tum quia nisi legis satisfierit, si actus in foro externo non sit firmus; tum quia fideles id, quod per actus iurhumano irritos acquirunt, non solent restituere citius, nisi cogantur per sententiam iudicis, neque acquisita retinendo, si alias nulla fias, & iniquitas intervenerit, cogit se male agere, ergo usus, & mores hominum satis explicant leges irritantes non obligare pro foro interno, nisi mediante, & conditionate, si sententia sequatur; cum usus, & consuetudo sit optima legum interpretis, l. 37. ff. de LL. Ex his priora 4. argumenta sunt potius ad disputandum, ultimum vero, quod ex Lessio assert Reiff. h. t. n. 259. magnam habet probabilitatem, & ex illo solvi possunt argumenta prioris sententiae, & paritates de impedimentis matrimonii, & professionis Religiosae, quia scilicet, ex subiecta materia Sacramenti, & voti, utpote ad forum internum pertinent, omnes prudentes iudicant dispositionem Trident. debere locum habere in utroque foro; quod iudicium non est de aliis legibus communiter irritantibus. Ego tamen adhaerere priori sententiae, quae nihil videtur probabilior.

R. ad 1. Neg. con. quia nimis probat, alias enim leges servitutum contra libertatem, usucapionem, matrimoniales, & plures alii iuris naturalis correctoriae restringendae essent ad forum externum. Unde hic locus est contrariae regulae; Lex obligat in conscientia, nisi Legislator expresse restringat ius naturale, & non vult obligare immediate pro foro interno. Praeterea sententia iudicis non minus, quam lex irritans, est correctoria iuris naturalis, neque tamen restringitur ad forum externum. Ad 3. Disti. ant. id experimentum de necessitate neg. ant. ad maiorem cautelam, & aggravationem con. ant. Expressio taciti, quod inest, sicut legi inest obligatio pro utroque foro, nihil speciale operatur, sed fit ad maiorem cautelam, cautela vero abundans non nocet. Rursum hoc arg. nimis probat, scilicet nullam legem humanam obligare pro foro interno, nisi huius mentionem habeat. Ad 3. est eadem solutio. Regula cit. locum habet si sensus legis obscurus, & dubius est, non vero si omittitur id, quod iure inest. Ad 4. Disti. an. obstant irritandi de facto, seu nulli declarandi conc. an. irritandi de iure, seu tanquam validi dissolvendi neg. an. Sapius etiam dicuntur irriti c. 20. de elect. ibi: electionem istam praedicti Canonici auctoritate cassatam, denunciamus irritam, & invalidam: nam ex subiecta materia colligi debet, quando hi termini, irritandus, rescindendus, & similes significant rescissionem, de iure, & de facto: si actus de iure est invalidus, rescissio eius est de facto, quia declaratur factum fuisse invalidum; si vero actus ipso iure est validus, rescissio illius est de iure, quia valor, aut jus quaesitum rescinditur, seu tollitur. Ad 5. Usus, & consuetudo non satis hanc interpretationem probant, quia multo plures talem usum reprobandi, & consuetudinis cum sit facti, probari debet: quin sit vero difficultis probationis, nemo non percipit. Specialia argumenta pro, & contra in materiis particularibus afferuntur, ut de legibus irritantibus electiones, testamenta &c.

S. IV.

De lege fundata in praesumptione, & fictione iuris.

24. Nota 1. Praesumptionem definiti, quod sit conjectura rationalis de re dubia ex iudiciis, quae per rerum circumstantias frequenter eveniunt. Ex qua definitio patet, praesumptionem esse iudicium desumptum ex iudiciis, seu circumstantiis plerumque connexis cum veritate. Fictio iuris est certa dispositio, qua Legislator ex iusta causa idem statuit in casu ficto, quod alia lex in casu vero possibilis, v. gr. beneficiatus Ecclesiae causa absens fingitur residere in beneficio, & ita lucratur fructus grossos, ac si re ipsa resideret. Differunt autem praesumptio, & fictio iuris: nam praesumptio innititur verisimili veritati ex iudiciis, & circumstantiis; at fictio iuris est in casu manifeste falso, qui ta-

men ob aequitatem naturalem idem operatur, quod casus verus, ut ex cit. exemplo.

25. Nota 2. Praesumptionem aliam esse hominis, & iudicis, dum iudex ex iudiciis praesumit, seu existimat aliquid factum esse verum; aliam iuris dum ius ipsum praesumit, seu existimat aliquid esse verum. De praesumptione hominis agitur libr. 2. tit. de praesump. Hic pro notitia legum aliquid dicitur de praesumptione iuris. 2. Praesumptio iuris dividitur in eam, quae tantum est iuris, & in eam, quae est iuris, & de iure. Praesumptio iuris tantum est, dum ius in dubio aliquid pro vero habet, donec probetur contrarium. Sic quilibet praesumitur bonus, nisi probetur malus c. fin. de praesump. & semel malus semper praesumitur malus per reg. 8. in 6. puta in eodem genere, quia mutatio est facti, adeoque probari debet: natus, & educatus inter christianos praesumitur baptizatus, c. fin. de Presb. non bapt. in fin. Praesumptio iuris, & de iure est, dum ius aliquid pro vero ita habet, ut probationem saltem directam in contrarium non admittat. Talis praesumptio de iure antiquo fuit in c. 30. de Sponsal. ubi cognoscens sponsam de futuro, praesumitur eam effectum maritali cognoscere, & ita matrimonium contrahere. 3. Utraque haec praesumptio, vel fundatur in facto, vel in periculo universali damnorum, fraudum, & similibus malorum. Lex fundata in praesumptione facti est, quae supponit aliquid factum intervenisse, super quo dispositio. Lex fundata in praesumptione periculi est, quae factio non attento, pro motivo habet periculum generale cuiusdam mali: ad quod evitandum lex illa posita est. S. D. 2. 2. quest. 60. art. 4. ad 3. priora praesumptionem vocat definitivam, puta super casu, & facto singulari, posteriori vero praesumptionem praesumptivam, quia ex parte Legislatoris praesumptio iudicium moraliter certum super periculo universalis.

26. Q. I. An lex fundata in praesumptione facti, hinc deservit, obliget in conscientia? R. Negative, si ve sit praesumptio iuris tantum, si ve iuris, & de iure; con. nam talis lex semper tacitam habet conditionem: si res ita se habet, si praesumptio est vera, ergo si factum deficit, & praesumptio est falsa, lex non obligat, quia per Can. 4. d. 8. praesumptio cedere debet veritati, imo quandoque nec obligare potest in conscientia. Exemplificatur res. 1. Per praesumptiones iuris in facto fundatas, c. fin. de Presb. non bapt. quilibet inter christianos natus, & educatus praesumitur baptizatus; si tamen constat, non esse baptizatum, baptizari debet, c. un. de despon. impub. in 6. quique expleto septennio praesumitur usui rationis praeditus, si tamen non est, non obligatur contractu sponsaliti. Similes praesumptiones habentur, l. 9. 10. C. de Servit. l. 8. ff. de Probat. l. 11. ff. fin. regund. l. 6. ff. de his qui sui, c. 4. 6. & 10. de Despon. impub. Exemplificatur 2. per praesumptiones iuris, & de iure in facto fundatas: c. 21. de Sponsal. praesumitur mulier libere consentisse in matrimonio; quae coacta nupsit, & sequanno marito cohabitavit; si tamen re vera non consentit, matrimonium est nullum c. 6. de condit. appo. qui cognovit desponsatam sibi sub conditione, praesumitur conditionem remisisse, & absolute in matrimonio consentisse; si tamen re ipsa conditionem non remisit, non tenet matrimonium absolute. Ex Trident. sess. 25. c. 19. de Regal. praesumitur quis professionem Religiosam ratificasse, qui ita quinquennium contra illam non reclamavit. Si tamen certo scit professionem suam fuisse invalidam, nec a se ratificatam, coram DEO non tenetur illa. Similia exempla habes, c. 15. & 30. de Sponsal. c. un. in fin. de despon. impub. l. 22. ff. de Probat. tit. C. de non num. pec. Haec quoad forum internum: at in foro externo, statuit praesumptio iuris, donec contrarium probetur: sed contra praesumptionem iuris, & de iure nulla directa probatio admittitur, cap. 30. de Sponsal. Si quis tamen tali legi, vel sententiae iudicis citra peccatum obedire non potest, debet potius quascumque penas, etiam excommunicationem humiliter sustinere, quam cum peccato parere iudici ex falsa praesumptione iudicanti, v. g. ut reddatur debitum conjugii putativo, cuius matrimonium iudex pronunciavit validum, cap. 44. de sentent. excommuni. Idem dicit de sententia, quae si fundata est in falsa praesumptione facti, non obligat in conscientia, v. g. iudex non debitor condemnatur ad 100. condemnatus, si via iuris aliter se defendere non

non possit, in foro externo tenebitur solvere, sed in interno uti potest occulta compensatione. Ita com. TT. & Canonista.

27. Q. II. An lex fundata in praesumptione periculi universalis obliget in conscientia, licet in particulari casu fallat praesumptio? R. Affirmative cum com. & vera sententia: nam motivum adequatum talis legis non est aliquid factum, vel damnum particulare, sed est ipsum generale periculum damnorum, quod moraliter est certum, & infallibile, semperque durat, etiam in hoc particulari casu nullum damnum sequatur; ergo stante tali motivo periculi generalis lex manet obligatoria. Sic Trid. prohibens matrimonia clandestina, Bulla Cerna prohibens lectionem librorum hereticorum, lex prohibens nocui arma portare, & aliae similes obligant, & si in his particularibus personis non sit periculum negandi matrimonii, pervertentis, tixatum &c. Dicitur: cessante motivo adequate cessat lex respectu omnium, ergo cessat inaduate, cessat respectu huius persone. R. Neg. conseq. nam iura non in singulas personas, sed generaliter, seu pro tota communitate constituntur, l. 8. ff. de LL. Ex dictis colligitur, quid sentiendum sit de illa plurali: praesumptio facti, praesumptio iuris, qua nonnulli praeserunt TT. utuntur: & quidem in hoc sensu non verificatur, quasi praesumptio iuris non fundaretur in facto, cum frequenter in eo fundetur, ut dicitur ante, verificatur tamen in eo sensu, quod praesumptio facti dicitur, quae fundatur super veritate facti, si ve sit praesumptio hominis, si ve iuris tantum, si ve iuris, & de iure; praesumptio vero iuris specificae accipitur pro motivo periculi generalis, vi cuius, non attento facto, pro motivo periculi certum constituit. Et sic diversitas in modo loquendi inter Auctores concilianda, nec facile reprehendenda est.

28. Q. III. An lex fundata in fictione iuris prosit etiam in foro conscientiae? R. affirmative, communis: nam fictio ista fundatur in aequitate naturali, ob quam lex aliquid concedit, quod alias conceditur in casu vero. Sic beneficiatus theologiam, vel Canones docens, fingitur residere in beneficio, & lucratur fructus, ac si re vera resideret. c. fin. de Magistr. testator apud hostes, captus, & mortuus, fingitur in patria mortuus, & testamentum prius factum sustinetur §. 5. Inst. quib. mod. iur. par. post. & tit. ff. de captiv. sic Religiosus, prout melius est monasterio, in iuriam fingitur servus, jam filius fam. jam mortuus, jam vivus &c. Plura exempla fictionum iuris assert Jafon. & Reiff. & alii per omnia praedicamenta, quae in decursu iuris facile deprehendens.

29. Q. IV. In quibus locum habeat fictio iuris? R. tantum in casibus a iure expressis, neque a casu ad casum extenditur: nam concedere aliquid in casu ficto, quod alias conceditur in casu vero, est solius Legislatoris. Unde non valet: monasterium est loco filii; ergo monachus est loco patris. 2. Fictio non trahitur ad impossibilia per naturam, vel per ius: sic infans non potest fingi homicida, licet adultus factus ratificet homicidium suo nomine factum, quia per naturam erat ei impossibile demandare homicidium; & monachus non potest fingi donasse, quia per ius est ipsi impossibile donare nomine suo &c.

S. V.

De mutatione legis.

30. Nota, legem mutari posse vel abintrinseco, vel ab extrinseco. Ab intrinseco dupliciter mutatur: totaliter, dum cessat totale motivum legis, & partialiter, dum respectu unius casus, aut persone cessat finis, aut motivum legis, quod fit per interpretationem, & epilogiam. Ab extrinseco patitur mutatio, vel totaliter per abrogationem: dum tota lex directe tollitur, vel saltem indirecte per contrarium legem, aut consuetudinem; vel partialiter per derogationem, aut dispensationem; dum lex mutatur in uno, vel altero capitulo, vel una persona dispensatur ab observantia legis.

31. Q. I. Quando, & quomodo lex cesset ab intrinseco? R. I. cessante adequato fine legis, cessat ipso facto lex, nam iuxta can. 2. d. 4. lex debet esse utilis communitati, sed cessante fine, seu motivo adequato, lex amplius non est utilis communitati, ergo. Sic lex, P. Romani a S. Erasmo. Pars 2.

qua ob sevicentem pestem, vel haerese prohibetur transitus ad alterum regnum, cessante peste, vel haerese, inutilis sit communitati, adeoque cessat. R. 2. Si finis legis cesset positive, seu contrarie, ita ut ex materia licita fiat illicita, peccatum est observare talem legem: nam esset observatio rei hic, & nunc illicitae, v. g. si quis vellet hodie observare legem circumfisionis. R. 3. Si finis legis cesset tantum negative, & partialiter, remanente motivo totali, non cessat respectu particularis persone, nam lex fertur toti communitati, ergo si motivum subsistat totale, stringit singulos de communitate, licet respectu particularis persone cesset negative, seu non militet contra ipsam. Sic teneris jejunare, etsi carnem spiritui subiectam habeas, noctu non portare arma prohibita, etsi credem, vel ritas non intendas &c. Secus esset, si finis adequatus cessaret negative, quia nunc lex inutilis esset communitati, vel si finis partialiter cessaret contrarie, quia ad talem casum, utpote hic & nunc illicitum, lex se non extendit, ut dictum est.

32. Q. II. Quomodo lex cessare possit ab extrinseco? R. I. cessare potest totaliter per abrogationem, dum Legislator, vel ejus successor, vel utriusque superior totam legem revocat, seu tollit: nam per quas causas aliquid nascitur, per easdem dissolvitur potest reg. 1. in antia. Abrogatio ista sine iusta causa, quamvis non sit licita, cum lex supponatur esse utilis communi bono, est tamen valida, siquidem tota vis legis pendet a voluntate Principis l. 1. ff. de Const. Princ. Si tamen superior legem confirmavit ad favorem publicum, regulariter sine ejus consensu nequit tolli, quia confirmando, censetur suam fecisse, arg. l. 1. §. 6. ff. de P. J. E. nisi per accidens, ut plerumque fieri solet, confirmatio ad majorem auctoritatem peita fuisset. R. 2. Lex partialiter cessare potest per derogationem, vel dispensationem, nam si legislator totam legem extinguere potest, a fortiori poterit illam in uno, vel altero capitulo immutare, vel per dispensationem relaxare.

33. Q. III. Quid, & quomodo sit dispensatio? R. I. Est relaxatio legis publica auctoritate facta in aliquo particulari casu, manente vigore legis ex parte materiae: nam si materia est subdacta legi, non est dispensatio, sed simplex interpretatio, quod casus non contineatur sub lege, v. g. est quis validus ad jejunandum, & tamen ex iusta causa solvitur. R. 2. Lex partialiter cessare potest, proprie non dispensatur a jejunio, sed per interpretationem declaratur, casum istum non contineri sub lege jejunii. R. 3. Dispensatio est duplex: totalis, quae tollit obligationem legis ex toto, ut si quis dispensetur a recitatione totius Breviarii; partialis, quae tollit obligationem ex parte, ut si quis dispensetur a recitatione matutini tantum: rursus alia est expressa, quae fit per verba, vel signa evidentialia; alia tacita, quae ex mente superioris colligitur, ut si Praelatus mittat Religiosum extra claustrum, tacite cum illo dispensat, ut oblatam sibi pecuniam acceptare possit. Item directa, seu immediata, qua superior dispensat cum subditis: indirecta, qua superior dispensat cum se ipso, vel generaliter dum dispensat cum tota communitate, vel specialiter dum dispensatio dat facultatem ad sibi dispensandum. Denique dispensatio alia est ex motu proprio, alia ad instantiam supplicantis, alia necessaria, quae sine scandalo, vel gravi incommodo negari non potest, alia permissa, quae sine incommodo negari potest.

34. Q. IV. Quis possit in legibus dispensare? R. Legislator potestare ordinaria: nam est dominus suarum legum: inferior vero in lege superioris non potest dispensare, nisi potestate delegata, etiam si dispensatio non sit specialiter reservata. Ita com. contra Covar & paucos; nam regula generalis est, quod inferior relaxare non possit legem superioris, can. 4. inferior. d. 21. Clem. 2. de elect. sed ab hac regula non repetitur exceptus casus, quo superior dispensationem sibi non reservavit, ergo: unde ad dispensandum requiritur, ut interiori concessa sit facultas dispensandi c. 15. de temp. Ord. ibi: cum Archiepiscopo huiusmodi dispensatio a Canone minime sit permissa, ipsi obtemperare non debet in hac parte. Itaque in iure Pontificio praeter Papam nullus dispensare potest, nec Primas, aut Patriarcha, aut Metropolitanus in legibus Concilii nationalis, aut Provincialis, quia inferiores sunt

sunt Concilio bene vero capitulum, Sede vacante, in legibus Concilii dicebantur, sicut Sede plena, Episcopus, cum jurisdictione necessaria ad capitulum devolvatur. Sufficit autem tacita concessio: & ita vi hujus Episcopi dispensant in observationibus festorum, & aliis, pro quorum dispensatione semper recurri non potest ad S. Sedem. Idem faciunt Praelati regulares cum suis subditis: & quia potestas illa in his casibus dispensandi annexa est dignitati, equiparatur potestati ordinariae, atque ita est delegabilis. R. 2. Praelatus habens potestatem dispensandi cum aliis, potest etiam immediate, & directe dispensare cum se ipso in legibus, votis, & juramentis. Ita Caj. Salm. & alii com. Prob. ex reg. generali desumpta ex l. 3. ff. de adop. l. 1. §. ff. de nuntiis vind. &c. ad exercitium jurisdictionis voluntariae non requiritur distinctio personalis inter eum, a quo, & cui praestatur auctoritas; seu potest quis jurisdictionem voluntariam in se ipsum exercere, nisi specialiter prohibeatur in aliquo casu, sed dispensare est exercitium jurisdictionis voluntariae, ergo: Ne tamen Praelatus amore proprio exerceatur in dispensando delinquant consultus facit, si talem dispensationem suo confessorio commiserit.

Dices: Nemo potest se ipsum judicare, absolvere, ordinare *Can. 27. inter 23. q. 4. l. 10. ff. de jurisd. l. un. C. ne quis in sua causa* 2. Jurisdictionem voluntariam in se ipsum exerceri non posse *Clem. 2. de reb. Eccl. non al. c. 7. de censib. c. fin. de Dist. l. 1. ff. de auctor. Tutor. R. ad 1. jurisdictione coactiva, absolutio a peccatis, & ordinatio Clericorum jure naturali, & divino requirit distinctionem personalem, cum nemo se ipsum cogere possit, neque forme Sacramentorum respectu sui verificentur, quae, & similes rationes non currunt in dispensatione. Ad 2. isti casus ob fraudes, & ambitionem sunt specialiter excepti a reg. generali. Vide *Resol. Canon. hic resol. 3.**

35. Q. V. An justa causa requiratur ad dispensandum? R. affirmative. *Trid. S. 24. c. 5. de ref. Matr. & S. 23. c. 15. de ref. S. 25. c. 28. de refor.* nam sine causa potest inaequalitatem inter subditos, non tam dispensatio, quam dissipatio, & quaedam acceptio personarum. Et quidem si inferior dispensat, justa causa requiritur non tantum ad licitum, sed etiam ad validam dispensationem, quia Superior non aliter censetur concedere facultatem, nisi utrationabiliter, & prudenter dispenset; si vero Legislator est, justa causa requiritur solum ad licitam dispensationem, cum Legislator tanquam dominus legis, non solum relaxare, sed etiam abrogare valide possit suam legem absque ulla causa. Hic tamen moment Saluanticenses, quod, si Legislator dispenset absque justa causa, vel minus sufficienti, seculo scandalo non committat ex genere suo peccatum mortale, quia in hoc, quod omnes non conformantur in observantia legis, non videtur tanta inordinatio, quae sufficiat ad peccatum mortale, nisi accedat alia circumstantia gravis, ut damnum Reipubl. vel tertii, scandalum, & alia incommoda. Quando dispensatio fit subreptitia, vel obreptitia colliges ex *Seq. tit. Vide Salmant. Tr. de LL. c. 5.*

S. VI.

De interpretatione legum.

36. Nota interpretationem definiti, quod sit sensus in leges contenti explicatio. Et haec juxta gloss. in l. 37. ff. de LL. est triplex: *authentica, usualis, & doctrinalis.* Authentica est, quae fit ab ipso Legislatore qua tali, vel successore, vel Superiore per rescriptum legitime instat juris editum, ac intimatum. *C. 31. de Sen. excom. l. fin. C. de LL. ibi: leges interpretari solo dignum imperio esse oportet.* Si autem Legislator, non qua talis est jurisdictione, sed qua doctor privatus leges interpretetur, interpretatio est tantum doctrinalis. Usualis est, quae fit ex usu, & consuetudine populi, quia per l. 37. ff. de LL. *consuetudo est optima legum interpret.* Doctrinalis est, quae fit a jurisperitis in sua scientia veritatis. Et haec dividitur triariam, in *declarativam, extensivam, & restrictivam.* Declarativa est, quae verba dubia, & obscura explanat. Extensiva, quae legem a casu expresso ad non expressum, vel a persona ad personam extendit. Quod fit dupliciter: *jure extensivae, dum ob solam paritatem rationis*

lex ab uno casu extenditur ad alterum, v. g. Proconsul ubique extra urbem proconsularia insignia habet per l. 1. ff. de Offic. Procon. ergo; & Legatus a latere, qui equiparatur Proconuli in dignitate, & jurisdictione: & *comprehensivae, dum ob identitatem rationis lex ab uno casu porrigitur ad alterum, lege quidem non expressum, in mente tamen Legislatoris comprehensum, v. g. lex prohibens arma, vel frumentum ad hostem vehere, tacite, & comprehensive prohibet delationem ferri, aut farinae Restrictiva est, quae propter speciales circumstantias restringit legem, seu benignius ipsam interpretatur, quod non obliget in his circumstantiis. Alter vocatur Epitkia, idest benigna interpretatio legis secundum aequum, & bonum, seu emendatio legis, qua parte deficit propter universalitatem.*

37. Q. I. An prater Legislatorem, etiam inferior auctoritatem legum interpretationem facere possit? R. regulariter loquendo non posse: nam interpretatio authentica, cum faciat jus commune, necessitate procedere debet a potestate legislativa. *l. 9. 11. 12. C. de LL. At ex speciali commissione etiam inferior auctoritate interpretari potest legem Superioris: sic quidem 1. Papa, sicut olim Summus Sacerdos in Ver. Test. authenticiter interpretari potest legem naturalem, & divinam positivam; cuiusmodi interpretationes multa sunt in jure Can. v. g. marito, vel patri non licere occidere adulteram filiam, vel uxorem &c. Sic etiam in damnatis propositionibus Pontificis Romani interpretis agunt circa ea, quae pertinent ad jus naturale, & divinum: nam talis potestas necessaria fuit Ecclesiae, eamque Christus dedit inclusam in generali potestate ligandi, & solvendi. Illa autem censenda est interpretatio authentica, quam Papa, ut doctor publicus, previa matuta consideratione, toti Ecclesiae proponit tenendam, secus est tantum interpretatio doctrinalis, & probabilis, quam Papa, ut doctor privatus facit. 2. Sac. Congregationis, ex speciali S. Sedis commissione possunt jura Pontificia, servatis servandis, authenticiter interpretari, praesertim Congr. Conc. Trident. ut in Prolegom. dictum. 3. Prudentes olim authenticiter interpretabantur jus civile §. responsa. *ln. de J. N. G. & C.* quae potestas hodie JCris sublata est l. 12. C. de LL. Ceterum interpretatio authentica, uti & usualis, cum natus potestate legislativa, facit jus commune. *cit. l. 12. & l. 35. 36. 37. ff. de LL.**

38. Q. II. An licita sit interpretatio doctrinalis in omni jure? R. affirmative, modo fiat secundum regulas communitate a DD. receptas, *l. un. C. de Profess. qui in urbe. l. 1. ff. de R. C. l. 17. 18. 19. ff. de LL. & arg. c. 2. de priv. in 6.* nam ex una parte leges saepe sunt obscurae, & ex altera Legislator saepe pro commoditate adiri non potest, imo nec semper vult interpretationes authenticas facere, ergo necessarium erit, ut talis facultas interpretandi viris doctis concederetur. Excipio, nisi Legislator expresse prohibeat alicujus legis interpretationem; quo casu, ut prohibito aliquid operetur, non solum interpretatio frivola, sed etiam quaecumque alia ex professo suscepta censetur prohibita. Sic ex Bulla *Pi IV. Benedictus Deus* ad calcem *Trid.* specialiter prohibetur interpretatio Tridentini ex professo suscepta, & typis edita absque consensu S. Sedis, Praelatis quidem sub pena interdicti ab ingressu Ecclesiae, aliis vero sub pena excommunicationis late sententiae. Haec tamen prohibitio, & poena non tenentur qui in suis libris, & scriptis incidenter explicent alicujus textum ex *Trid.* aliam: porro interpretatio doctrinalis, cum non natus potestate legislativa, non facit jus, sed tantum probabiliter, & ideo circa eundem textum datur sententiae ex utraque parte probabiles.

Regulae interpretationis declarativae.

39. I. Ante omnia attendi debet mens, & ingentio Legislatoris, quae est anima, & forma legis, & solumque colligi ex proemio, & motivo legis. *cap. humana. 22. q. 5. & cap. 6. de V. S. intelligentia dictorum ex causis est assumenda dicendi: quia est sermones, sed rei est sermo subiectus. & l. 6. §. 1. ff. de V. S. ibi verbum ex legibus sic accipiendum est tam ex legum sententia, quam ex verbis.*

II. Attendenda est verborum proprietates, nisi sequatur

quatur absurdum, vel iniquitas. *c. 2. v. sed neque de Translat. l. 69. ff. de Legat. 3. l. 7. §. 2. ff. de Supel. legat. nam sine causa non debet praesumi, quod Legislator metaphorice locutus fuerit. Si tamen vocabulum aliquod duplicem habet significationem, alteram naturalem, seu communem, & alteram civilem, seu juridicam, significatio juridica non attenditur, nisi in favorabilibus. Sic lex favorabilis de filiis intelligitur etiam de legitimatis, & adoptivis, non vero odiosa. Et monachus, si favorabile est monasterio, comprehenditur sub nomine mortui, non vero in odiosis.*

III. Verba generalia sunt intelligenda, tam in favorabilibus, quam odiosis *l. 1. §. Quod a. ff. de alior. l. 5. §. 9. §. fin. ff. de J. & F. l. 1. §. generaliter ff. de legat. praesum. ex quibus legibus desumptum est illud brocardicon: ubi lex non distinguit, neque nos distinguere debemus.*

IV. In concursu legum contrariarum primo tentanda est conciliatio per subtilem interpretationem *l. 26. 28. ff. de LL. l. 2. §. 16. & l. 3. §. 15. ff. de P. J. E.* quia correctio iurum, utpote odiosa vitanda est. Si vero conciliatio non speretur, lex posterior derogat priori *cit. l. 28. & l. fin. ff. de constit. constitutiones tempore posteriores, potiores sunt his, quae ius praeservant.* Papa tamen, vel alius summus princeps, qui jura omnia in serinio sui pectoris habet, per posteriores leges non censetur derogare legibus particularibus, privilegiis, & consuetudinibus locorum, nisi id clare exprimat, *c. 1. h. t. in 6.* quia haec particularia probabiliter ignorat. Cetera interpretationum regule desumuntur ex regulis utriusque juris, & tit. de P. S.

Regulae interpretationis extensivae.

I. Ob similitudinem rationis lex non est extendenda ad personam, vel casum non expressum: nam Legislator non intendit obligare, nisi ad id, quod exprimit, eique placet *l. 1. ff. de Const. Prin. Unde illud: ratio legis, non est decilio legis. Sic Clem. 1. de Elect. Religiosus non potest eligi in Praelatum regularem alterius Ordinis, quia non convenit sociari homines dispersis professionibus, vel habitibus, & tamen eligi potest in Episcopum, licet similis ratio contra militem. Judex tamen, deficiente alio jure, potest, imo regulariter debet a simili ad simile judicare *l. 12. 13. ff. de LL.**

II. Ob identitatem rationis recte fit interpretatio comprehensiva *arg. l. 32. ff. ad L. Aquil.* unde desumptum est illud brocardicon: *ubi eadem est ratio, ibi eadem est juris dispositio:* nam quod mente Legislatoris comprehendit est, censetur legi inesse, & Legislator merito imprudens iudicatur, si quod statuit de expresso, nolle servari in tacito, v. g. lex ecclesiastica prohibet Praelatis res Ecclesiae alienare, ergo etiam prohibet, ne licet eorum nomine res tales alienent. Haec interpretatio comprehensiva plerumque locum habet in correlativis, ut inter uxorem, & maritum, equiparatis a jure connexis, & in iis omnibus, in quibus, nisi fiat extensio, sequeretur absurdum. Hic tamen observari similitudinem rationis, & identitatem rationis saepe quidem confundi, sed in rigore differre: nam similitudo fit in diversis rationibus, quarum altera est alteri similis, v. g. novitius non est eligibilis in Praelatum, quia plene non didicit disciplinam regularem, similis ratio currit in minorista, ne eligatur in Episcop. quia non supponitur bene callere disciplinam ecclesiasticam. Identitas fit in eadem ratione, quando pro casu in lege non expresso prioris eadem ratio currit, quae pro casu expresso. Sic *c. 24. de Sponsalib.* non valet matrimonium cum furioso, ergo nec cum furiosa, quia utrobique consensus non subsistit. Vir innocens non tenetur reddere debitum adulterae *c. 4. §. de divorciis,* ergo nec uxorem innocens adultero, quia utrobique frangitur fides conjugalis.

III. In penalibus, & odiosis, quae sunt contra jus commune, vel tertii, & similiter in dispensationibus, quae sunt vulnus legis, stricta interpretatio adhibenda est, neque ob paritatem, vel majoritatem rationis faciendae extensio ad casum non expressum *l. 19. 25. ff. de LL. c. 25. de decim. c. 9. de priv. quia per reg. 15. in 6. odia restringenda sunt. Sic per Nov. 115. c. 3. in celsus cum noceret esse causa sufficiens exheredationis, quod tamen extendi non debet ad incestum cum matre. Ceterum licet dispensatio, utpote relaxatio ju-*

P. Remigii a S. Erasmo. Pars I.

ris, stricte fit interpretanda, tamen potestas dispensandi, cum sit juri conformis, & nulli praedjudicialis, nisi concedenti, latam habet interpretationem, sicut beneficium Principis *l. 3. ff. de Const. Prin. Beneficium Imperatoris, quam plenissime interpretari debemus.*

Regulae interpretationis restrictivae.

41. I. Epitkia, seu restrictio locum habet in jure divino positivo, & humano pro illis casibus, quibus observatio legis redditur nimis difficilis, *S. D. 1. 2. q. 96. a. 6.* Sic David ex epitkia iudicavit licitum sibi esse comedere panes propositionis laicis vetitos, Machabei pugnarunt die festo: & similiter in casu difficili interpretatur non obligare praecipuum jejunandi, abstinendi ab opere servili, audiendi factum &c.

II. In lege naturali non datur proprie epitkia, sed simplex interpretatio, declarans casum aliquem non comprehendere sub lege naturali, nam lex naturalis semper est circa conformia, vel difformia rationi, ergo emendari non potest per epitkiam: sic non esse reddendum depositum hosti Republica, licite occidi posse innocentem, dum Deus id imperat &c. simplex ostendit interpretatio, quod scil. jus naturale ad hos casus se non extendat: si tamen talem interpretationem vis nominare epitkiam, his erit de nomine.

III. Epitkia regulariter non habet locum in legibus irritantibus, ita com. nam rigor talium legum plurimum conducit ad bonum Reipubl. Etd ideo tibi permissis, vel belli, vel alio casu, quo non potest haberi parochus cum relictis, valide non contrahetur matrimonium in locis, ubi Trid. viger. Cetera de legibus, uti & de ignorantia juris, & facti supplenda erunt ex jur. civ.

TITULUS III.

De Rescriptis.

De hac materia agitur in 6. & *Clement. h. t. in Decreto d. 97. & 25. q. 1. 2. per tot. Trid. sess. 22. c. 5. 6. & sess. 25. c. 10. de ref. In Pandectis l. 1. §. 1. ff. de Const. Prin. Codice lib. 1. tit. 19. usque ad 23.*

1. Nota 1. Rescriptum quoad nomen esse *responsum scriptum:* at quoad rem *rescriptum* proprie, & stricte acceptum, est responsum Principis in scripto datum ad alicujus supplicationem, vel relationem, vel consultationem circa jus intelligendum, *l. 1. §. 1. ff. de Const. Prin. l. 3. & fin. C. de LL.* aliter vocatur *epistola, cit. l. 1. & in jure Canon. epistola decretalis, & differat ab oraculo, quia hoc viva voce, abedicto, quia hoc motu proprio; rescriptum vero ad praeviam supplicationem datur. In praesenti rescriptum accipitur latius, prout est quodecumque Principis responsum in scripto datum, sive jus, & iustitiam, sive beneficium, & gratiam concernat.*

2. Nota 2. Rescriptum hoc ultimo modo acceptum dividi 1. in *generale, & speciale. Generale* est, quod datur pro omnibus subditis, & conf. instar constitutionis facit jus commune, *l. fin. §. 1. C. de LL. Speciale* est, quod datur uni, vel alteri, & hoc regulariter facit jus solum inrer partes *l. 2. eod. nisi Princeps rescripta specialia expresse velit observari instar juris communis, uti plurima sunt in jure Canon. & codice Justiniani.* 2. In rescriptum *juxta, contra, & prater jus.* *Juxta jus* est, quod Princeps conformiter juri communi concedit. *Contra jus* est, quo Princeps aliquid contra communem juris dispositionem facit, ut dispensando, privilegia largiendo &c. *Prater jus* est, quo Princeps concedit ea, quae jure non sunt decisa. 3. Praecipua divisio est in *rescriptum gratis, quo praeter, aut contra jus commune supplicanti gratia conceditur; & rescriptum iustitiae, seu ad lites, quod datur ad iudicia, & iustitiam administrandam, v. g. delegando iudicem, praescribendo specialem modum procedendi &c.* His aliqui addunt mixtum ex utroque. Cetera rescriptorum species ex vocibus innoscent, uti sunt *Ecclesiastica, Papalia, politica, imperialia, exequutoria, moratoria, seu dilatoria* debiti solvendi &c. De rescriptis circa dispensationes matrimoniales *lib. 4. agitur, & ideo succincte materiam istam pertractaturi agemus 1. de causis 2. de vitis, 3. de praesentatione, exequutione, & expiratione rescriptorum.*